XIX. Reſpondeo, negando conſeq. & do diſparitatem: Nam virtus ſpirativa non eſt prædicatum abſolutum, eſſentiale, & toti Trinitati commune, ſed notionale tangens ex ſuo formali conceptu duas Perſonas diſtinctas: exprimit enim amorem amicabilem, mutuum, correlativum, ideoque inter duos: quapropter qui hanc virtutem ſpirativam cognoſceret, cognoſceret quoque Perſonas ſpirantes. At virtus creativa, ſeu omnipotentia eſt prædicatum prorſus abſolutum, & commune conveniens perſonis, non ut inter ſe ſunt diſtinctæ, ſed ut ſunt in eſſentia unum; cauſare enim ad extra dicuntur Perſonæ, non quidem perſeitate cauſæ, ſed ſolum perſeitate rei, & ideo cognoſcens vim cauſativam, cognoſcit quidem, dari Deum unum, Deum tamen eſſe trinum in Perſonis cognoſcere nequit.

Ad conſ. nego ant. ut enim aliquid implicite cognoſcatur, non ſatis eſt cognoſcere id, in quo eſt, ſeu cum quo idem eſt; ſed requiritur præterea, ut ex eo cognito per argumentationem colligi poſſit. At ex eſſentia Dei cognita per vires naturæ colligi non poteſt Trinitas Perſonarum, propter rationes allatas; & ideo &c.

XX. Ex his omnibus colligitur, erraſſe Raymundum Lullum, qui cenſuit, evidenter demonſtrari poſſe divinarum Perſonarum Trinitatem; immo & omnes fidei articulos per rationes neceſſarias, & evidentes abſque ulla ſupernaturali illuſtratione. Ut enim refert Eymericus *direct. Inquiſ. q. 9. part.* aſſerebat Lullus: *Fidem eſſe quidem neceſſariam hominibus inſciis, ruſticis, miniſtralibus, & non habentibus intellectum elevatum, qui neſciunt cognoſcere per rationem, & diligunt cognoſcere per fidem... ſed homo ſubtilis facilius trahitur per rationem, quam per fidem.*

QUÆSTIO II.

De Divinis Proceſſionibus.

STatuta, ut par erat, Trinitate Perſonarum in Deo, quæ Religionis Chriſtianæ Articulus fundamentalis eſt, ac præcipuus; videndus eſt modus, quo divinæ Perſonæ inter ſe diſtinguuntur. Quia vero communiter dicitur, eas diſtingui ſecundum relationes originis: ideo de origine, ſeu proceſſione unius Perſonæ ab alia diſputationem inſtituere oportet.

DUBIUM I.

An in Divinis dentur reales Proceſſiones, & quot?

§. I.

Quædam prænotantur.

I. PRoceſſionis nomine nil aliud venit, quam emanatio, ſeu origo unius ab alio: ſic fluvius dicitur procedere a fonte, quia ab eo emanat; ſic radius a Sole, quod ab eo oriatur.

Proceſſio unius ab alio duplex eſt, tranſiens, & immanens. Prior eſt ea, qua aliquid extra principium emanat, ſeu qua principium, ſeu cauſa operatur aliquid extra ſe, hac ratione proceſſio radii a Sole, quo aer illuminatur, ſeu caloris ab igne, quo aqua calefit, appellatur tranſiens, quia lux extra Solem, & calor extra ignem emanat in aliud; ſeu quia Sol, ex quo radius procedit, & ignis, ex quo calor emanat, extra ſe agunt, nimirum Sol in aerem, & ignis in aquam. Poſterior vero eſt, qua aliquid intra principium emanat, ſeu qua principium, ſeu cauſa non operatur in ſubjectum extra ſe oppoſitum: ſic intellectio eſt actio, & proceſſio immanens, quia ab intellectu procedit, ut ipſe (non alius) fiat intelligens; neque ut fiat intelligens, neceſſe eſt, ut exeat extra ſeipſum, ſeu ut operetur in ſubjectum, quod extra ipſum intellectum poſitum ſit.

Proceſſionem ad extra relinquimus modo, cum certum ſit Deo convenire; omnes enim res creatæ a Deo procedunt. Quæſtio agitur de proceſſionibus immanentibus, quarum nimirum termini in Deo ſiſtant.

II. Porro: Proceſſio immanens, ſeu tranſiens alia eſt proceſſio unius ab alio, ut a cauſa: alia eſt proceſſio unius ab alio, ut a puro principio. Illa dicit in termino procedente dependentiam a principio, a quo recipit eſſe, ut patet in proceſſione luminis a Sole; lumen enim a Sole in aerem procedit, cum dependentia a Sole. Iſta vero dicit in termino procedente eſſe acceptum quidem a principio a quo oritur, ſed abſque ulla dependentia; qua illud idem eſſe, quod eſt in principio fluit in terminum; ſicut eadem aqua, quæ eſt in fonte fluit, & manat in fluvium. His explicatis,

§. II.

Reſolutiones Dubii pro prima parte.

III. DIco primo. Dantur in Deo proceſſiones immanentes, quibus una Divina Perſona ab alia procedit. Eſt veritas de Fide revelata in Scripturis. tum *Jo.* 8. *v.* 42. ubi Chriſtus de ſe: *Ego* (inquit) *ex Deo proceſſi*. Et cap. 7. verſ. 29. *Ego ſcio eum* (Patrem) *quia ab ipſo ſum*. Tum *Eccleſ.* 24. *v.* 5. de Divina Sapientia dicitur: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam*. Huc quoque ſpectant textus omnes, quibus Filius dicitur accepiſſe a Patre, primo Vitam. *Joann.* 5. *v.* 26. *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo: ſic dedit Filio habere vitam in ſemetipſo*: Doctrinam: Joann. 7. v. 19. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me*. Poteſtatem: Matth. 11. v. 27. *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo*. Et de Spiritu Sancto dicitur Joann. 15. v. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, ſpiritum veritatis, qui a patre procedit*. Propterea veritas hæc in pluribus Conciliis definita fuit: Nicæno I. Conſtantinopolitano I. Lateranenſi, Florentino &c. & in omnibus Fidei Symbolis inſerta; præſertim in Nicæno, ubi Filius dicitur: *Deus de Deo, lumen de lumine, genitus non factus, Spiritus Sanctus autem qui a Patre*, Filioque *procedit*: quamvis verbum *Filioque* non in Nicæno poſitum, ſed poſtea additum fuerit, ut dicetur. In hoc conveniunt Patres quotquot de Trinitate ſcripſerunt; quos huc adducere nimis prolixum eſſet.

IV. Probatur hoc ratiocinio. Inter divinas Perſonas datur realis diſtinctio, ut ſuperius probatum eſt contra Sabellium: ſed hæc in nullo alio fundari poteſt, quam in origine, & proceſſione unius ab alia; ergo &c. Minor probatur. Omnis diſtinctio in divinis, quæ realis ſit, non in alio fundari poteſt, quam in aliqua relativa oppoſitione: non enim fundari poteſt in limitatione, cum Deus illimitatus in omni genere ſit, & in Deo omnia ſint unum, ubi non obſtat relativa oppoſitio: ſed relativa oppoſitio in Deo non in alio fundari poteſt, quam in origine, & proceſſione unius ab alio; ergo &c. Minor prob. Omnis relativa oppoſitio, vel fundatur in ſimilitudine, aut æqualitate; aut in menſura, & menſurato; aut in productione, ſeu proceſſione. Sed oppoſitio relativa inter divinas Perſonas non poteſt fundari in ſimilitudine aut æqualitate. Tum quia divinæ Perſonæ non ſunt ſimiles, aut æquales in natura, ſed ejuſdem omnino naturæ divinæ. Tum quia æqualitas, aut ſimilitudo non cauſat diſtinctionem ſed eam ſupponit. Nec etiam fundari poteſt in ratione menſuræ, & menſurati. Tum quia Perſonæ infinitæ perfectionis, quales ſunt divinæ, non poſſunt habere menſuram ſuæ perfectionis. Tum quia relationes fundatæ in menſura, & menſurato non ſunt mutuæ: menſura enim non refertur ad menſuratum, Perſonæ autem divinæ mutuo referuntur; ergo ſupereſt, ut relativa oppoſitio inter illas ſit fundata in productione, ſeu proceſſione, qua una Perſona originem trahit, & procedit ab alia.

V. Dices. Poſſe Perſonas divinas adhuc invicem relative opponi, & diſtingui, etiam abſque origine unius ab alia, relationibus nimirum diſparatis, & proinde diſtinctis; ſicut dicit Scotus, quod Spiritus Sanctus etſi non procederet a Filio, adhuc realiter diſtingueretur ab illo relatione diſparata.

VI. Sed contra. Relationes non dicunt incommunicabilitatem, & conſequenter, nec diſtinctionem, niſi reſpectu termini ſibi correlative oppoſiti: atqui relationes diſparatæ non ſe invicem reſpicerent, ut terminos relative oppoſitos; ergo non dicerent invicem incommunicabilitatem, & diſtinctionem, ſed potius invicem communicabiles eſſent; & cum omnis communicatio inter prædicata divina, ſit per identitatem, fieret inde, quod relationes illæ diſparatæ divinæ invicem identificarentur, & tolleretur Trinitas Perſonarum: ſicut quia ſpiratio activa, & paternitas, eſto diſparatæ, invicem tamen relative non opponuntur, communicabiles ſunt, ideoque ſunt unum atque idem realiter.

Quod vero Filius, etſi non produceret Spiritum Sanctum, adhuc ab illo diſtingueretur, ut vult Scotus, quamquam noſtrum non ſit reſpondere, adhuc tamen dicimus, latam eſſe diſparitatem. Nam Scotus non loquitur de Perſonis omnino improductis, nec ſentit, quod ſi Perſonæ divinæ eſſent omnino improductæ, adhuc diſtinguerentur inter ſe; ſed loquitur de Perſona producta, nempe de Spiritu Sancto, quem dicit ex vi proceſſionis a ſolo Patre eſſe conſtitutam in ratione Perſonæ diſparatæ a Perſona Filii: & propterea, etſi a Filio non procederet, adhuc eſſet Perſona alia, & diſtincta a Filio.

VII. Dico ſecundo. Proceſſiones inter divinas Perſonas non ſunt unius ab alio, ut a cauſa, ſed ut a puro principio originis. Probatur; Quælibet Perſona divina procedens procedit in eodem omnino eſſe cum Perſona, a qua procedit; ita ut eſſe, quod accipit Filius a Patre, ſit idem omnino eſſe Patris, & eſſe, quod accipit Spiritus Sanctus a Patre, & Filio ſit idem omnino eſſe Patris, & Filii, communicatum Filio quidem per generationem, Spiritui Sancto autem per proceſſionem; ſic ut Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſint unius eſſentiæ, & unus Deus, ut contra Arianos, & Macedonianos probatum eſt; ergo Perſona procedens reſpicit eam, a qua procedit non ut cauſam ſui, ſed ut principium; quia cauſa in quantum talis non communicat ſuum eſſe effectui, ſed in eo producit eſſe diverſum, ideoque quod non ſit eſſe a ſe, ſed ab alio dependens: ratio autem puri principii ſolum dicit originem, cum qua ſtat, quod idem omnino eſſe ſit in eo, a quo oritur, & in eo quod oritur; in uno ut dante, & communicante, in altero ut accipiente.

VIII. Hic advertenda eſt doctrina D. Thom. *qu.* 10. *de potentia art.* 1. *ad* 9. Nempe: *quod inter omnia ad originem ſpectantia magis convenit in Divinis hoc nomen* principii. *Quia enim divina comprehendi a nobis non poſſunt, convenientius a nobis ſignificantur per nomina communia, quæ indefinite aliquid ſignificant, quam per nomina ſpecialia, quæ definite rei ſpecies exprimunt. Unde hoc nomen* qui eſt, *quod ſecundum Damaſcenum ſignificat ſubſtantiæ pelagum infinitum, convenientiſſimum nomen Dei dicitur eſſe* Exod. 3. *Sicut autem cauſa communior eſt quam elementum, quod ſignificat aliquid primum, & ſimplex in genere cauſæ materialis: ita etiam principium eſt communius, quam cauſa. Nam prima pars motus, vel lineæ dicitur* principium, *ſed non* cauſa. *In quo patet, quod* principium *poteſt dici aliquid, quod non eſt ſecundum eſſentiam diſtinctum, ut punctum lineæ; non autem cauſa, maxime ſi loquamur de cauſa originante, quæ eſt cauſa efficiens.*

Et proſequitur: *Quamvis autem Pater dicatur eſſe principium Filii, & Spiritus Sancti: non autem videtur indifferenter dicendum, quod Filius ſit principiatum, vel etiam Spiritus Sanctus, licet etiam hoc modo loquendi Græci utantur, & poſſit apud ſane intelligentes concedi. Tamen ea, quæ minorationem aliquam importare videntur, refugere debemus, ne Filio, vel Spiritui Sancto attribuantur, propter Arianorum errorem vitandum. Sicut Hilarius, etſi concedat, Patrem eſſe majorem Filio, propter auctoritatem originis, non tamen concedit quod Filius ſit minor Patre, cui eſt æquale eſſe donatum a Patre. Et ſimiliter non eſt extendendum nomen ſubauctoritatis vel principiati in Filio, licet nomen auctoritatis vel principii concedatur in Patre.* Hactenus D. Thom. quod docuit etiam 1. *part. quæſt.* 33. *art.* 1. *ad* 2. *& ad* 1. ubi ait: *Quod Græci utuntur in divinis indifferenter nomine cauſæ, ſicut & nomine principii, ſed Latini Doctores non utuntur nomine cauſæ, ſed nomine principii.* Et data ratione ut ſupra, quia principii nomen eſt communius, quam cauſa, nomina autem communia convenientius aſſumuntur in divinis: *Quia nomina quanto magis ſpecialia ſunt, tanto magis determinant modum convenientem creaturæ,* ſubdit: *Unde hoc nomen cauſæ videtur importare diverſitatem ſubſtantiæ, & dependentiam alicujus ab altero, quam non importat nomen principii. In omnibus enim cauſæ generibus ſemper invenitur diſtantia inter cauſam, & id, cujus eſt cauſa, ſecundum aliquam perfectionem, aut virtutem. Sed nomine principii utimur etiam in his, quæ nullam hujuſmodi differentiam habent, ſed ſolum ſecundum quemdam ordinem; ſicut cum dicimus punctum eſſe principium lineæ; vel etiam cum dicimus frontem lineæ eſſe principium lineæ.* Hoc idem docet q. 10. de Potentia art. 1. ad 8.

Ex quibus apparet, quod etſi aliqui Patres Græci nomine cauſæ in divinis uſi ſint, hoc contingit, ait D. Thom. citato loco de pot. ad 8. *Quia Græci abſolutius utuntur nomine cauſæ, ex ipſo ſolam originem ſignificantes . . . . Aliquid enim inconvenienter in lingua latina dicitur, quod propter proprietatem idiomatis convenienter in lingua græca dici poteſt. Non autem oportet, ſi nomen cauſæ confitemur in divinis ſecundum Græcos, quod eodem modo accipiatur, ſicut cum de creaturis dicitur.* Mentem Sancti Thomæ fuſe exponere placuit: quia ex ea diſcere poterit ſtudioſus modum caute in hoc Myſterio loquendi, & rurſus hæreticis illud oppugnantibus occurrere. Reliqua inferius ſolvemus.

§. III.

Solvuntur contraria.

IX. PRimo objicitur. Omne procedens poſterius eſt eo, a quo procedit: ſed inter divinas Perſonas non datur prius, & poſterius, cum omnes invicem coexiſtant; ergo &c. Major probatur. Nomen enim principii a prioritate ſumitur.

Reſpondeo, nego maj. Id enim, quod procedit ab alio, ut a puro principio, dicit quidem ordinem originis ad illud, non tamen ordinem poſterioris ad prius. Ad probat. reſpondeo cum D. Thoma 1. part. q. 33. art. 1. ad 4. quod *licet hoc nomen Principium, quantum ad id a quo imponitur ad ſignificandum, videatur a prioritate ſumptum, non tamen ſignificat prioritatem, ſed originem. Non enim idem eſt, quod ſignificat nomen, & a quo nomen imponitur.* Quod repetit q. 10. de potentia a. 1. ad 10. & 1. p. q. 42. a. 3. *In divinis* (inquit) *dicitur principium ſecundum originem abſque prioritate ... & hic vocatur ordo naturæ ſecundum Auguſtinum* (lib. 2. contra Maxim. cap. 14.) *non quo alter ſit prius altero, ſed quo alter eſt ex altero.* Quatenus licet Perſonæ divinæ ſemper fuerint, una tamen ſemper fuit cum ordine originis ab alia, ſicut (proportione tamen ſervata) licet fluvius ab æterno fuiſſet, ſemper fuiſſet cum ordine originis, ac ſemper emanaſſet a ſuo fonte. Quare Gregorius Nazianzenus orat. 35. *Quid ergo, inquies, ſi Filius, & Spiritus Sanctus Patri coæterni ſunt, quid afferri poteſt, quin principii quoque, quemadmodum & ille, ſint expertes?* Cui ſic reſpondet: *Quia ab ipſo ſunt, licet non poſt ipſum. Quod enim principio caret, æternum quoque eſt: quod autem æternum eſt, non protinus quoque principio vacat, quamdiu ad Patrem velut ad principium, & originem refertur.*

X. Secundo objicitur; Perſona divina debet eſſe a ſe, alias non eſſet Deus; cum Deus ſit eſſentialiter ens a ſe, & non ab alio; ſed Perſona procedens non eſt a ſe, ſed ab alio; ergo &c.

Confirmatur. Eſſe Perſonæ, quæ ſit ſubſtantialiter Deus non poteſt eſſe receptum ab alio: quia quod habet eſſe ab alio receptum, non habet eſſe ex ſe, & a ſe, ſed indiget alio, ut ſit, ſed Perſonæ procedentes haberent eſſe ab alio receptum; ergo &c.

XI. Reſpondeo, diſt. maj. & non ab alio, ut a cauſa, conc. maj. ut a puro principio originis, nego abſolute maj. & eodem modo diſtincta min. nego conſeq. eſt quidem contra eſſentiam Dei, qui eſt primum ens, & prima cauſa, quod procedat ab alio, ut a cauſa; alias haberet eſſe dependens, & diverſum ab eſſe cauſæ, quod eſt contra eſſentiam Dei, & cujuſcumque prædicati divini, quod eſſentialiter debet eſſe ens a ſe, unum, ac independens a quocumque. Procedere autem ab alio, ut a puro principio originis, licet non ſit de eſſentia Dei, cum Pater ſit Deus, & a nullo naſcatur, ſeu procedat; non tamen eſt contra eſſentiam Dei, aut Perſonæ Divinæ. Ita ſenſerunt Nicæni Patres, qui *Chriſtum Filium Dei Unigenitum, ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum,* declararunt. Ratio autem eſt: quia cum Perſona procedens ab alia, ut a puro principio ſuæ originis, accipiat idem numero eſſe cum eo, quod habet Perſona, a qua procedit; ideo ſicut eſſe Perſonæ a qua procedit, eſt a ſe, & divinum, ita a ſe & divinum erit eſſe, quod communicatur Perſonæ procedenti. Nec etiam Perſona procedens excogitari poteſt dependens ab ea, a qua procedit. Non quidem in eſſe, quod accipit; quia dependentia eſt inter duo diverſa, eſſe autem, & natura in Perſona producente, & producta eadem omnino ſunt: quare ſi abſque dependentia eſt in producente, erit quoque in Perſona producente, & producta. Nec etiam in perſonali proprietate; cum enim hæc ſit relatio, ex parte ejus dependentia attendi non poteſt, quia relativa ſunt ſimul natura; unde inter illa dependentia excogitari non poteſt, quæ neceſſario dicit prioritatem, & poſterioritatem cauſalitatis, ſed ſolus ordo originis; quatenus licet ambo ſimul ſint, & ſimul intelligantur, unum tamen concipitur, ut principium originis, alterum ut terminus; unum ut dans, alterum ut accipiens.

XII. Similiter argumentum S. Gregorio Nazianzeno opponebat Eunomianus *Orat.* 35. Ajebat enim: non idem ſunt genitum, & ingenitum; ergo nec Filius cum Patre idem eſt; ergo alteruter a divinitate ſubmoveri debet. Probabat aſſumptum: nam, vel ingenitum eſſentia Dei eſt, vel genitum. Si primum; ergo genitum Deus non eſt. Si ſecundum; ergo ingenitum Deus non erit.

Cui S. Gregorius præfatus ſic reſpondet: ſi per hæc verba ingenitum, genitum nihil aliud intelligis, quam increatum, & quod creatum, *in eadem ipſe quoque ſum ſententia: neque enim natura idem eſt, quod principio caret, & quod procreatum eſt. Sin autem his verbis eum qui genuit, & eum qui genitus eſt, accipis, haudquaquam recte id abs te dicitur. Idem enim omnino eſſe neceſſe eſt; Hæc quippe geniti natura eſt, ut idem, ſi naturam ſpectes, ſit cum eo, qui genuit.* Deinde ſic proſequitur: *Quid per ingenitum, & genitum intelligis? Si ipſam ingeniti, & geniti proprietatem; non idem ſunt. Si vero* intelligis *ea, quibus hæc inſunt, quid vetat quominus idem ſint?* Et hoc explicat exemplo; nam inſipiens, & ſapiens inter ſe quidem non idem ſunt; in eodem tamen homine conſiderantur, *nec ſubſtantias ſcindunt, ſed circa eamdem ſubſtantiam ſcinduntur.* Forte ingenitum & genitum circa eamdem naturam eſſe non poſſunt; at Adam a ſolo Deo factus fuit, & non genitus; qui tamen homo eſt ejuſdem naturæ, ac ille, qui ab eo genitus eſt: eſſe enim genitum, vel ingenitum proprietas, & conditio Perſonæ eſt, non natura. *Si magnum eſt Patri a nullo profectum eſſe, non minus illuſtre Filio erit ex tali Patre prodiiſſe: nam præterquamquod gloriæ illius, qui cauſam a nullo habet, particeps eſt; quia ex eo eſt, accedit etiam generationis decus.*

At, inquiet. Si Filius ejuſdem eſſentiæ cum Patre eſt: ſi Pater ingenitus eſt, Filius quoque ingenitus eſſe deberet. Reſpondet: *Recte, ſi ingenitum eſſentia Dei diceretur,* & non potius Perſonæ proprietas. At eſſe ingenitum eſſentia Dei non eſt: Ingenitum enim, & genitum ſe habent ut privatio, & habitus; privatio autem deſtruit habitum, & habitus privatione prior eſt; ergo & Pater deſtrueret Filium, & Filius Patrem; & Filius præcederet Patrem. Rurſus: *quoniam habitus privationibus priores ſunt, ac privationes habitus ipſos extinguunt, non ſolum antiquior erit Filii eſſentia, quam Patris, ſed etiam a Patre extinguetur, ac de medio tolletur.* Ita diſcurrit Nazianzenus.

XIII. Ad confirm. dico, quod licet eſſe Perſonæ divinæ non poſſit eſſe receptum, ideſt cauſatum, poteſt tamen eſſe communicatum. Ratio eſt: quia eſſe cauſatum poteſt quidem eſſe ſimile cum eo, quod eſt in cauſa, ſed non poteſt eſſe omnino idem. At eſſe pure communicatum eſt omnino idem cum eſſe, quod eſt in communicante. Sic licet Filius habeat eſſe ſibi communicatum a Patre, habet tamen idem omnino eſſe, ac eamdem numero naturam, quam habet Pater, & conſequenter ſubſtantialiter divinam.

Neque ex eo quod Filius accipiat eſſe a Patre dici poteſt indigens. Eſſet quidem indigens, ſi aliquando fuiſſet, aut potuiſſet eſſe Pater, quin eſſet Filius, ac Filius potuiſſet carere tali eſſe: at cum Pater non potuerit eſſe, quin Filio communicaret eſſe, & Patri æque eſſentiale ſit habere eſſe divinum, & illud Filio communicare, & rurſus cum Filius, nec unquam fuerit, nec potuerit eſſe abſque eſſe ſibi communicato a Patre, non poteſt eſſe indigens illo. *Recipiens* enim (ait D. Thom. q. 10. de potentia a. 1. ad 13.) *antequam recipiat indiget: ad hoc enim accipit, ut indigentiam repleat. Sed poſtquam jam acceperit non indiget, habet enim, quo indigebat. Si ergo aliquid eſt, quod receptioni non præexiſtit, ſed ſemper eſt in recepiſſe, hoc nullo modo eſt indigens. Filius autem non ſic accipit a Patre, quaſi prius non habens, & poſtea accipiens; ſed quia hoc ipſum quod eſt, habet a Patre: unde non ſequitur, quod ſit indigens.*

XIV. Sed contra primo. *Creatura qualibet eſt indigentis naturæ, & tamen non præexiſtit receptioni, qua recipit eſſe a Deo. Non ergo excludit indigentiam a recipiente hoc, quod receptioni non præexiſtit.*

Contra ſecundo. *Quod non habet aliquid, niſi ſecundum quod recipit illud ab alio, in ſe conſideratum caret illo: ſicut aer in ſe conſideratus caret lumine, quod ab alio recipit. Si ergo Filius & Spiritus Sanctus non habent eſſe, niſi per hoc quod recipiunt a Patre, quod oportet dicere, ſi a Patre procedunt, neceſſe eſt, quod, ſi in ſe conſiderentur, ſint nihil. Quod autem in ſe conſideratum nihil eſt, ſi habeat eſſe ab alio, oportet, quod ex nihilo ſit, & ita quod ſit creatura &c.* Ita ſibi opponit laudato loco D. Thomas 14. & 15. argumento.

Quibus reſpondet: *Ad 14. dicendum, quod creatura accipit a Deo eſſe quoddam, quod non eſſet permanens, niſi divinitus conſervaretur. Et ideo etiam poſtquam eſſe accipit, indiget divina operatione, ut conſervetur in eſſe, & ſic eſt naturæ indigentis. Filius autem accipit a Patre idem numero eſſe, & eamdem naturam numero, quam Pater habet. Unde non eſt naturæ indigentis.* Addi poteſt, quod creatura ſic accipit eſſe, ut potuerit eo carere, at Filius ſic accipit eſſe, ut eo carere non potuerit, ſicut nec Pater.

Ad alteram reſpondet: *Ad 11. dicendum, quod Filius in ſe conſideratur, ſecundum illud, quod abſolute habet, quod eſt Patris eſſentia, & ſecundum hoc non eſt nihil, ſed unum cum Patre; ſecundum vero quod refertur ad Patrem conſideratur, ut recipiens eſſe a Patre. Unde nec ſic etiam eſt nihil. Et ita nullo modo Filius eſt nihil. Eſſet autem in ſe conſideratus nihil, ſi eſſet in eo aliquid abſolutum diſtinctum a Patre, ſicut eſt in creaturis.*

XV. Tertio objicitur. Eſſe, quod identificatur cum alio realiter diverſo, debet eſſe realiter diverſum: ſed eſſe Perſonæ productæ, puta Filii, identificatur cum Filio, qui eſt relative oppoſitus, & realiter diſtinctus a Perſona Patris producentis; ergo eſſe Filii non eſt idem cum eſſe Patris. Major explicatur: quia enim eſſe, quod eſt in Petro identificatur cum Petro, qui realiter diſtinguitur a Paulo; ideo eſſe, quod eſt in Petro diſtinguitur realiter ab eſſe, quod eſt in Paulo.

XVI. Reſpondeo, majorem eſſe veram, quando eſſe identificatur cum realiter diverſo, cujus diverſitas oritur ex limitatione; ſecus vero, ſi identificetur cum realiter diverſo, cujus diverſitas oritur ex pura oppoſitione relativa, ut contingit in divinis Perſonis. Tunc enim non oportet, ut diverſitas extendatur ad ipſum eſſe. Cum autem tota diverſitas inter divinas Perſonas ex oppoſitione relativa oriatur, & ipſum eſſe, ſeu natura Perſonæ producentis, non opponatur relative cum eſſe Perſonæ productæ; ideo quamvis eſſe relativum productum ſit diverſum realiter a producente, non tamen eſſe abſolutum erit diverſum ab illo.

Ex quibus patet etiam, quod Perſona producens non eſt perfectior Perſona producta; quia Perſona producta accipit omnem, immo eamdem perfectionem Perſonæ producentis, cum eadem communicet eamdem eſſentiam cum omnibus attributis. Sed de his inferius.

§. IV.

De numero Divinarum Proceſſionum, quæ eſt ſecunda pars.

PRoceſſio conſiderari poteſt active; & ſic eſt actio, qua Perſona producit: & rurſus paſſive; & ſic dicit terminum productum, ſeu Perſonam procedentem. His ſtantibus.

XVII. Dico ſecundo. Duæ tantum ſunt in Deo proceſſiones paſſivæ. Probatur; Duo tantum ſunt termini producti per proceſſiones activas divinas, nempe Verbum, & Spiritus Sanctus: Pater enim, cum ſit fons, origo, & principium totius Deitatis, ita alias Perſonas producit, ut ipſe a nulla alia perſona produci poſſit. Quapropter ejus character, & perſonalis proprietas, eſt eſſe innaſcibilem, & ingenitum, ut oſtendit D. Th. 1. *p. q.* 33. *a.* 4. Ergo duo tantum ſunt termini &c. ſeu paſſivæ proceſſiones.

XVIII. Dico tertio. Duæ ſolum ſunt in Divinis proceſſiones activæ, duæ inquam, virtualiter diſtinctæ, non realiter. Hæc ſecunda pars conſtat; quia activæ proceſſiones in Deo ſunt actus, quibus divinæ Perſonæ procedunt: ſed actus in Deo realiter non multiplicantur, ſed ſolum virtualiter, quia quidquid divinum ad genus abſolutum pertinet, unum realiter, ac ſimplex eſt; ergo &c. Major patet: quia, ut dicemus, proceſſio activa Verbi eſt actus divini intellectus; proceſſio vero activa Spiritus Sancti eſt actus divinæ voluntatis.

Prior vero pars probatur ex D. Th. 1. *p. q.* 27. *a.* 1. Primo. Quia tot ſunt proceſſiones, quot ſunt procedentes: ſed procedentes ſunt tantum duo, ſcilicet Filius, & Spiritus Sanctus, ut dictum eſt; ergo duæ tantum ſunt proceſſiones. Secundo. Proceſſiones enim activæ in divinis accipi non poſſunt, niſi ſecundum actiones, quæ in agente manent; atqui hujuſmodi actiones in natura intellectuali, & divina non ſunt niſi duæ, ſcilicet intelligere, & velle: *Nam ſentire, quod etiam videtur eſſe operatio in ſentiente eſt extra naturam intellectualem, neque totaliter eſt remota a genere actionum, quæ ſunt ad extra. Nam ſentire perficitur per actionem ſenſibilis in ſenſum*; ergo &c. Maj. probata fuerat a D. Th. eadem q. a. 1. *Cum enim Deus ſit ſuper omnia, ea, quæ in Deo dicuntur, non ſunt intelligenda ſecundum modum infimarum creaturarum, quæ ſunt corpora, ſed ſecundum ſimilitudinem ſupremarum creaturarum, quæ ſunt intellectuales ſubſtantiæ, a quibus etiam ſimilitudo accepta deficit a repræſentatione divinorum. Non ergo accipienda eſt proceſſio ſecundum quod eſt in corporalibus, vel per motum localem, vel per actionem alicujus cauſæ in exteriorem factum, ut calor a calefaciente in calefactum; ſed ſecundum emanationem intelligibilem verbi intelligibilis a dicente*, & impulſus ab amante, quæ manet in ipſo.

XIX. Contra dicta argues primo. Sicut aliquid poteſt eſſe procedens a procedente, ita poteſt aliquid eſſe natum ex nato, ut patet in hominibus, in quibus is, qui naſcitur ab uno, habet alium de ſe natum: ſed in divinis datur proceſſio procedentis a procedente, nempe Spiritus Sancti a Filio; ergo dari poterit quoque proceſſio nati a nato, nempe Filii a Filio.

XX. Confirmatur. Major eſt fœcunditas in Deo, quam in nobis: ſed in nobis non eſt tantum una proceſſio verbi, ſed multæ, quia in nobis ex uno verbo procedit aliud verbum, & ſimiliter ex uno amore alius amor; ergo &c.

XXI. Reſpondetur. Spiritum Sanctum procedere a procedente, nimirum a Filio, non eadem proceſſionis ſpecie, ſcilicet ut natus ex ipſo, ſed ut amor, & impulſus: duæ autem proceſſiones diverſæ ſpeciei dari poſſunt in Deo, non vero duæ proceſſiones ejuſdem ſpeciei, puta duæ proceſſiones Verbi, vel Amoris.

XXII. Ad confirmationem, reſpondet S. Thomas 1. part. quæſt. 27 art. 5. ad 3. *Quod Deus unico actu omnia intelligit, & ſimiliter omnia vult: unde in eo non poteſt eſſe proceſſio Verbi ex Verbo, neque Amoris ex Amore: ſed eſt in eo ſolum unum Verbum perfectum, & unus amor perfectus; & in hoc ejus perfecta fœcunditas manifeſtatur.* Ita D. Thom. Sicut enim per hoc, quod uno actu omnia intelligat, & uno actu omnia amet; ejus ſumma vis in cognoſcendo, & amando apparet; ita per hoc, quod uno Verbo omnia dicat, & unico impulſu omnia amabilia complectatur, ejus ſumma fœcunditas manifeſtatur.

Ex quibus patet, impoſſibile eſſe in Deo aliud Verbum, & & alium impulſum procedere. Quotieſcumque enim aliqua potentia producit totum effectum, quem poteſt producere, impoſſibile eſt, alium effectum per eam produci: atqui Pater æternus, gignendo Filium per omnia ſibi æqualem, coæternum, & conſubſtantialem, totum producit, quod ejus potentia generativa produci poteſt, nec in divinis alia potentia generativa eſt; & idem dicito de potentia ſpirativa; ergo impoſſibile eſt, in divinis alium Filium generari &c. Quia vero in humanis unicus filius nec adæquat potentiam generativam, nec ſpeciem humanam, & diverſa potentia generativa eſt in Filio genito, ac ſit in generante, diverſam enim potentiam, ſicut & naturam, accipit a genitore homo, qui gignitur; idcirco poteſt in humanis homo, qui gignitur, habere alium ex ſe genitum, & ex ſe natum.

XXIII. Argues ſecundo. Eſt in divinis proceſſio per modum naturæ, ſecundum quam Filius nominatur: eſt etiam proceſſio per modum intellectus, ſecundum quam nominatur Verbum: eſt inſuper proceſſio per modum voluntatis, ſecundum quam nominatur amor; ergo ſunt tres proceſſiones.

Reſpondeo ex D. Thom. *q.* 10. *de potentia art.* 2. *ad* 11. quod in divinis proceſſio, quæ eſt per modum intellectus non diſtinguitur a proceſſione, quæ eſt per modum naturæ, propter tria. Primo; Quia ſicut proceſſio, quæ eſt per modum naturæ eſt prima, nec præexigit aliam proceſſionem; ita proceſſio, quæ eſt per modum intellectus, ad differentiam proceſſionis per modum voluntatis, quæ neceſſario præexigit proceſſionem, quæ eſt per modum intellectus. Secundo; Quia ſicut natura intendit producere ſimilitudinem ſui; ita intellectus, tam intus, quam extra. Intus quidem ſicut Verbum eſt ſimilitudo rei intellectæ, & ipſius intellectus intelligentis ſeipſum: extra autem, ſicut forma intellecta ab artifice inducitur in artificiatum: ad differentiam voluntatis, quæ non intendit inducere ſimilitudinem, nec intra, nec extra; nec eſt ſimilitudo aliqua voluntatis, aut voliti; ſed quædam impreſſio relicta ex voluntate in volito, aut quædam unio unius ad alterum. Tertio; Quia proceſſio naturæ eſt tantum ab uno, ſicut ab agente, ſi ſit perfectum agens; & quamvis in animalibus generetur aliquid ex duobus, ſcilicet ex Patre, & Matre, ſolus tamen Pater eſt agens; ſimiliter autem proceſſio intellectus eſt ab uno ſolo: ſed amicitia, quæ eſt amor mutuus, procedit ex duobus invicem ſe amantibus. Ita fere iiſdem verbis S. Thomas.

XXIV. Sed dices. Proceſſiones creaturarum ſunt ad exemplar proceſſionum divinarum: ſed in creatis alia eſt proceſſio naturæ, ſecundum quam homo generat hominem, & alia proceſſio intellectus, ſecundum quam producit verbum; ergo & in divinis &c.

Reſpondetur, proceſſiones creaturarum maxime diferre ab exemplari proceſſionum divinarum. Primo; Quia in creaturis materialis (in quibus ſolis eſt) proceſſio per modum naturæ materialis eſt, & non niſi naturali tranſmutatione perficitur; proceſſio autem intellectus immaterialis eſt: ideoque proceſſio naturæ in creaturis a proceſſione intellectus diverſa eſt. Secundo; Quia verbum, quod procedit in creaturis, dum intelligunt, neque eſt ſubſiſtens, neque ejuſdem naturæ cum intelligente, ideoque quod procedit per intellectum, non poteſt procedere proceſſione naturæ, ſicut procedit quod generatur, quod procedit ut ſubſiſtens in eadem natura cum generante: Qui vero in divinis procedit per modum intellectus, procedit ut ſubſiſtens, & in eadem cum genitore ſubſtantia; ac proinde nihil obſtat, quin poſſit eſſe una, eademque proceſſio per modum intellectus, & per modum naturæ.

XXV. Argues tertio. Proceſſio, quæ eſt in divinis debet procedenti communicare naturam divinam, quia omne, quod in Deo procedit, Deus eſt: ſed per proceſſionem, quæ eſt a voluntate non poteſt communicari natura, ut patet in creatis, & quia nihil accipere poteſt naturam, niſi via generationis; ergo &c.

Confirmatur. Quod procedit in natura procedit naturaliter, non voluntarie; ſed quod procedit per voluntatem procedit voluntarie, & cum voluntas ſit libera, procedit etiam libere, & poteſt procedere, & non procedere; ergo non procedere ut habens naturam divinam, neque ut ens neceſſarium, & a ſe, qualis debet eſſe Deus.

XXVI. Reſp. ex D. Thoma 1. p. q. 27. art. 3. ad 2. *quod quid eſt in Deo Deus eſt, quod non contingit in aliis rebus. Et ideo per quamlibet proceſſionem, quæ non eſt ad extra, communicatur divina natura, non autem aliæ naturæ.* Idem docet *q.* 10. *de potentia art.* 2. *ad* 6.

Ad confirmat. reſpondet Div. Thomas *qu.* 10. *de potentia art.* 2.

art. 2. *ad* 4. Quod licet quod producitur per voluntatem non procedat per modum naturæ, quia hoc modo procedit ſolum id, cui ex vi proceſſionis communicatur natura: procedit tamen naturaliter, ſi naturaliter ad illud voluntas feratur. Cum ergo Deus naturaliter amet ſuam bonitatem, ſicut etiam naturaliter intelligit ſuam veritatem, & quæcumque potentia naturaliter comparetur ad ſuum objectum; Ideo ſicut Filius naturaliter procedit a Patre, ut Verbum, ita Spiritus Sanctus procedit naturaliter ab eo, ut Amor: naturaliter, inquam, non per modum naturæ: *dicitur enim aliquid produci naturaliter propter naturalem habitudinem, quam habet ad ſuum principium; per modum vero naturæ produci dicitur, quod producitur ab aliquo principio ſic producente, ſicut natura producit.*

Neque proinde Spiritus Sanctus, etſi procedat per voluntatem, ſic libere procedit, ut poſſit non procedere, ſed procedit neceſſario, ut non poſſit non procedere: nec naturalis neceſſitas repugnat voluntati, ſed ſola violentia & coactio. Unde ſicut Deus ſua voluntate amat ſeipſum, licet de neceſſitate amet ſeipſum, ſic Pater & Filius voluntate producunt Spiritum Sanctum, licet de neceſſitate, ſeu naturaliter ipſum producant. Vide D. Thomam mox citatum *ad* 5.

XXVII. Argues quarto. Si ponantur duæ proceſſiones in divinis, oportet, ut differant vel numero tantum, vel ſpecie. Si numero tantum; ergo utraque proceſſio erit ejuſdem ſpeciei, ſcilicet generatio, & uterque procedens erit Filius. Si vero differant ſpecie; ergo natura per proceſſionem communicata erit ſpecie diverſa. Sic enim ſpecie differt proceſſio hominis, & equi a ſuo principio, non autem proceſſio Socratis & Platonis; ergo cum una tantum ſit natura divina, non poſſunt eſſe duæ proceſſiones ſpecie differentes per hoc, quod una eſt a procedente, alia non. Ita ſibi opponit D. Th. *qu.* 10. *de potentia art.* 2. citato.

XXVIII. Cui (quod eſt 12.) reſpondet, proceſſiones in divinis diferre, quaſi ſecundum ſpeciem propter differentiam proprietatum perſonalium, licet in procedentibus ſit una natura communis. *Sciendum* enim *eſt, quod generatio in rebus creatis per ſe ordinatur ad ſpeciem: natura enim intendit generare hominem; unde & natura ſpeciei per generationem multiplicatur in rebus creatis. Proceſſio autem divina eſt ad multiplicationem hypoſtaſum, in quibus natura divina una numero invenitur.* Unde ex quo proceſſiones divinæ quaſi ſpecie (cum in divinis nec ſit genus, nec ſpecies proprie talis) non tamen quod natura, cujus ſunt illæ hypoſtaſes, ſpecie differat. Cujus etiam aliquale exemplum afferre poſſumus in creatis: nam Petrus, & Paulus, ſi conſiderentur quatenus ſubſiſtunt in natura humana, unum ſpecie ſunt; ſi vero conſiderentur ſecundum proprietates individuales, diſtinguuntur ſecundum ſpeciem proprietatis.

XXIX. Tandem argues. Bonitas videtur eſſe principium proceſſionis, cum bonum ſit ſui diffuſivum; ergo videtur ponenda tertia proceſſio ſecundum bonitatem.

Reſpondetur ex S. Thom. 1. *part. qu.* 27. *art.* 5. *ad* 2. Quod bonitas pertinet ad eſſentiam, non ad operationem, niſi forte ſicut objectum voluntatis. Unde cum proceſſiones divinas ſecundum aliquas actiones neceſſe ſit accipere; ſecundum bonitatem, & alia hujuſmodi attributa, non accipiuntur aliæ proceſſiones, niſi Verbi, & Amoris; ſecundum quod Deus ſuam eſſentiam, veritatem, & bonitatem intelligit, & amat.

DUBIUM II.

De principio Divinarum Proceſſionum.

§. I.

Quædam pro intelligentia.

I. DUplex hac in re diſtingui poteſt principium, unum dictum principium *quod*; aliud dictum principium *quo*. Principium *quod* eſt hypoſtaſis, ſuppoſitum, ſeu perſona, cui tribuitur operatio, tritum enim eſt axioma: actiones ſunt ſuppoſitorum. Principium *quo* eſt virtus, qua principium *quod* operatur. Sit exemplum: dum ignis calefacit, ſuppoſitum ignis eſt principium *quod* calefacit, calor autem eſt principium *quo*, ſeu virtus, qua ignis calefacit.

II. Rurſus. Principium *quo* ſubdividitur in principium *quo* remotum, ſeu radicale; & principium *quo* proximum. Primum eſt illud, quo ſuppoſitum mediate ſolum, & radicaliter operatur. Secundum vero eſt, quo immediate, & proxime operatur. Sicut dum ſuppoſitum ignis calefacit, principium radicale eſt ipſa ſubſtantia, ſeu natura ignis; proximum vero eſt ipſe calor. Sic manus eſt principium *quo* remotum, & pennicillus eſt principium proximum *quo* pingendi; quia Pictor, qui eſt principium *quod*, immediate pingit per pennicillum, mediate vero per manum.

III. De principio *quod* divinarum proceſſionum non diſputamus: hoc enim certum eſt; eſſe ſuppoſitum, ſeu Perſonam, a qua alia procedit. Sic Pater, & Filius ſunt principium *quod* proceſſionis Spiritus Sancti. De principio *quo* controverſia eſt, ſive proximo, ſive remoto; ſeu quænam ſit virtus, qua una divina Perſona, ſive immediate, ſive mediate producit alteram. Pro cujus reſolutione

§. II.

An eſſentia divina ſit principium quo *proximum.*

IV. DIco primo. Eſſentia divina non eſt principium *quo* proxime una Perſona producit aliam. Eſt contra Durandum, qui propterea cenſura notatur, utpote in re gravi a communi Theologorum ſenſu recedens, & etiam a locutione Scripturæ, & Patrum. Scripturæ quidem: nam in Scripturis Filius vocatur Verbum, Spiritus Sanctus *Amor*, ſeu charitas: Verbum autem, & amor non procedunt immediate a natura prævie ad intellectum, & voluntatem; ſed Verbum procedit medio intellectu, Amor media voluntate. Patrum quoque: nam hi eodem modo, ac Scriptura Filium vocant Verbum, & Sapientiam; Spiritum Sanctum, Amorem. Gregorius Nazianzenus *orat.* 35. Cyrillus *lib.* 1. *in Joan. cap.* 5. & *lib.* 7. *Theſaur. cap.* 5. Baſilius *homil. in cap.* 1. *Joan.* Et inter cæteros S. Auguſtinus qui *lib.* 15. *de Trinit. c.* 10. oſtendit, Verbum eſſe in principio apud Deum ex ſimilitudine verbi, quod intra nos procedit. Et *cap.* 17. vocat Spiritum Sanctum Amorem procedentem. Et lib. 7. de Trinit. c. 2. *Eo* (inquit) *Filius, quo Verbum: & eo Verbum, quo Filius*: atqui principium immediatum *quo* Verbum eſt, intellectus eſt; ergo principium immediatum *quo* Filius eſt, intellectus eſt.

V. Dicere autem, ut Durandus loqui videtur, Scripturam, & Patres, dum Filium Dei vocant *Verbum*, ſumere Verbum improprie, & metaphorice, voluntarium eſt, immo temerarium. Tum quia eadem ratione poſſet dici, quod Scriptura, & Patres vocent eum Filium ſolum metaphorice, & aperiri via ad dicendum, quod omnia, quæ Scriptura dicit de hoc, & aliis myſteriis captum noſtrum excedentibus, ſint intelligenda, non proprie, ſed metaphorice. Tum quia hoc eſſet in modo loquendi ſaltem convenire cum hæreticis; ſive cum Sibellio negante Trinitatem Perſonarum proprie talium: ſive cum Alogianis Ario antiquioribus, qui teſte Auguſtino *de hæreſibus c.* 30. & Epiphanio *hæreſ.* 51. negaverunt in Deo Verbum: Immo cum Arianis ipſis negantibus, dari Verbum proprie tale, quod ſit intra Deum. Tum denique, quia D. Thomas 1. *part. q.* 34. *art.* 1. *ad* 1. cenſet, Origenem fuiſſe fontem Arianorum, quia opinatus fuit, cum Filius Dei Verbum dicitur, non eſſe proprie dictum.

VI. Rurſus directe ſic probo. Ex dictis proceſſiones divinæ debent accipi ſecundum aliquam actionem, quæ in agente maneat: ſed hujuſmodi in natura intellectuali non ſunt a natura, niſi medio intellectu, & voluntate; ergo &c.

Ulterius: ſi proceſſiones divinæ æque immediate a natura ſunt prævie ad intellectum, & voluntatem, non erit ratio, cur una dicatur generatio, & altera non; cum utraque ex eadem natura, & eodem modo emanet: cur ſint tantum duæ: cur una ſit prior alia: cur Filius ab una ſolum Perſona, & Spiritus Sanctus a duobus ſit.

VII. Sed oppones, cum Durando primo. Ex eo, quod Filius dicatur Verbum, non debet argui, quod dicatur Verbum proprie, ideſt ex ſua perſonali proprietate, ſed ſolum per appropriationem, ſicut quoque dicitur ſapientia. Et quemadmodum omnipotentia, ſapientia, bonitas non ſunt alicujus Perſonæ proprietates, ſed omnibus communes, dicuntur tamen per appropriationem potius de una, quam de alia: ut omnipotentia Patri appropriatur, ſapientia Filio, & bonitas Spiritui Sancto: ſic ratio Verbi, quamvis non ſit proprietas perſonalis Filii, dici poteſt de Filio per appropriationem, potius, quam de alia Perſona; unde non ſequitur, Filii proceſſionem eſſe per intellectum.

VIII. Sed contra primo. Nam D. Thomas 1. *p. qu.* 34. *art.* 1. & 2. probat, Verbum eſſe nomen non eſſentiale, & commune, ſed perſonale, & proprium Filii; quia Verbum ex ſua ratione formali, cum ſit dictum, vel prolatum, dicit ordinem originis, & proceſſionis a dicente, & proferente, qui ordo ſolum attenditur inter propria Perſonarum. Eadem ratione licet ſapientia, & notitia prout dicit actum cognitionis ſit communis; ut tamen dicit terminum per cognitionem locutum, quo pacto vocatur notitia, & ſapientia genita, ſic eſt nomen proprium, ac perſonale Filii, ut nequeat aliis Perſonis, neque per appropriationem aptari.

Secundo. Hujuſmodi loquendi modus viam ſternit Sabellianis, & Arianis. Sabellianis quidem, quia ſi ratio Verbi eſt prædicatum commune, & ſolum appropriatum uni Perſonæ, nempe Filio; ergo Verbum qua Verbum non erit Perſona diſtincta a Patre: cumque pari ratione dicturus ſit Sabellius, neque Filium dicere proprietatem perſonalem, ſed dici ſolum ſecundum appropriationem, neque Filius, qua Filius erit Perſona diſtincta a Patre. Nam ſicut ſapientia, quæ attribuitur Filio non facit, Filium diſtingui a Patre; ita nec ratio Verbi, aut Filii, quod volebant Sabelliani.

Arianis quoque: quia omnipotentia attribuitur Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto, non ſecundum operationem ad intra, ſed ſecundum operationem ad extra; ergo ſi idem dicitur de ratione Verbi, jam aperitur via Arianis, ut dicant, in divinis dari Verbum, non ſecundum emanationem ad intra, ſed ſecundum proceſſionem ad extra: cumque eodem modo loquerentur de Filio, ac de Verbo, conſequeretur, Verbum eſſe Verbum ad extra, & Filium non per naturam, & ſecundum proprietatem, ſed puram creaturam.

Tertio. Si ratio Verbi eſt quid commune toti Trinitati, licet appropriatum Filio; ergo dum dicitur Joann. 1. *Verbum caro factum eſt*, tres divinæ Perſonæ forent incarnatæ, licet Incarnatio appropriaretur ſoli Filio: ſicut noſtra ſanctificatio,

licet

licet attribuitur Spiritui Sancto, & opus creationis licet attribuatur Patri, revera tamen commune eſt toti Trinitati, & a tota Trinitate procedit.

IX. Dicendum ergo eſt, Verbum eſſe nomen, non appropriatum, ſed proprietatem perſonalem ſecundæ Perſonæ, ut ab aliis diſtinctæ, quod indicavit Joannes cap. 1. dum ait: *Et Verbum erat apud Deum*, Qui enim apud aliquem eſt, alius ab eo eſt, ut contra Sabellium ſupra oſtendimus. Sed audiat Durandus S. Auguſtinum lib. 7. de Trinitate cap. 2. laudato: *Pater igitur, & Filius ſimul una eſſentia, & una magnitudo, & una veritas, & una ſapientia. Sed non Pater, & Filius ſimul ambo unum Verbum, quia non ſimul ambo unus Filius; ſicut enim Filius ad Patrem refertur, non ad ſeipſum dicitur: ita & Verbum ad eum, cujus eſt Verbum refertur. Eo quippe Filius, quo Verbum, & eo Verbum quo Filius.*

X. Opponit ſecundo. Principium *quo* proximum divinarum proceſſionum non debet eſſe aliquid commune, ſed proprium: atqui intellectus, & voluntas ſunt aliquid commune; ergo &c.

Retorqueo inſtantiam. Nam etiam eſſentia divina eſt prædicatum commune, non proprium; ergo neque eſſentia divina poterit eſſe principium *quo* proximum divinarum proceſſionum.

Reſpondeo ergo, quod (ut infra dicetur) licet intellectus, & voluntas abſolute, & ſecundum ſe communes ſint omnibus Perſonis, ut tamen ſunt in hac Perſona ſic modificantur ejus proprietate perſonali, ſic fiunt prædicata ejus propria, ut notionalia dicantur, & fœcunda ſint ad aliam Perſonam producendam. Sic ſapientia communis eſt; at ſapientia ut genita, ita propria ſit ſecundæ Perſonæ, ut non poſſit ſupponere niſi pro ea.

XI. Opponit tertio. Productio Perſonarum in divinis proportione ſervata dari debet, ſicut in creatis productio rerum: at in creatis productio rerum eſt per naturam: ergo &c. Minor probatur. Natura creata ex vi ſuæ naturæ fœcunditatem habet ad ſe communicandum, & non ex vi actionis intelligendi: unde generatio dicitur opus naturæ, & in Deo communiter dicunt Patres Filium procedere natura. Additur, quod operationes immanentes nihil producunt; ergo &c. Et conſequenter prævie ad hujuſmodi actiones habetur tota vis, & ratio divinarum Proceſſionum,

Et confirmatur. Quia naturam divinam eſſe in tribus Perſonis, eiſque communicari, provenit immediate ex infinitate ipſius eſſentiæ; ergo ex eadem infinitate immediate proveniet, quod una Perſona procedat ab alia.

XII. Reſp. diſt. min. per naturam mediante aliqua actione tranſeunte, conc. min. immediate, nego min. Communicatio ergo naturæ, ſive in creatis, ſive in divinis, aliqua actione fieri debet. Si natura, quæ communicatur ſit creata, quia communicatur alteri extra ſe, communicatio fit actione tranſeunte, quæ poteſt præcedere actiones immanentes; quia talis fœcunditas non eſt ad germinandum aliquid intra ſe, ſed extra ſe. At ſi natura, quæ communicatur divina ſit, cum hæc fœcunditatem ſuam explicet germinando aliquid intra ſe, cui ſe ipſam indiviſam communicat, exigit, hoc perfici actione immanenti; quæ eſto extra nihil producat, aliquid tamen germinare facit in ipſo agente manens: aut Verbum, ſi ſit actio intellectus; aut impulſum, ſi ſit voluntatis.

Ad confirm. dico, ex infinitate quidem divinæ eſſentiæ procedere, ut fœcunda ſit ad ſui communicationem, media tamen aliqua actione perficiendam; cum enim in tribus Perſonis non quomodocumque ſit, ſed in duabus ut procedentibus, & in alia ut producente non producta, fit, ut non poſſit in illis abſque proceſſionibus, & proceſſiones ſine actionibus.

XIII. Opponit quarto: Relationes divinæ proprietates ſunt, ſeu attributa divinæ naturæ: ſed omnes proprietates immediate emanant a natura, ſicut & cætera attributa; ergo &c.

Reſpondeo, diſting. maj. proprietates convenientes naturæ ex ſe, nego maj. naturæ, ut communicatæ, conced. maj. eſt ergo differentia inter attributa divina abſoluta, & relationes; quod illa conveniunt naturæ divinæ ex ſe, & ideo ab illa immediate emanant: at iſtæ cum non conveniant naturæ divinæ, niſi ut communicatæ alicui Perſonæ, ideo nequeunt convenire divinæ naturæ, niſi media actione, qua fiat talis communicatio ad intra: quæ actio in natura intellectuali, cui convenit producere terminum non extra, ſed intra ſe, alia eſſe nequit, niſi actio intellectus, & voluntatis.

§. III.

An eſſentia, ſeu Natura Divina ſit principium quo *radicale.*

XIV. DIco ſecundo. Eſſentia, ſeu natura divina eſt principium *quo* radicale, ſeu primordiale divinarum Proceſſionum. Probatur primo. Illud eſt principium radicale, & remotum divinarum proceſſionum, cui primo, & radicaliter convenit fœcunditas, & vis proxima producendi terminum ad intra: ſed hoc primo convenit eſſentiæ divinæ, ratione cujus Deo convenit omnis perfectio, & in qua omnia divina continentur & radicantur; ergo &c.

Secundo probatur ratione D. Thomæ 1. *p. q.* 41. *art.* 1: Illud eſt principium *quo* radicale divinarum proceſſionum, cui aſſimilantur termini per illas procedentes; omne enim producens aliquid, producit ſibi ſimile in forma, qua primo agit; ſicut homo genitus eſt ſimilis generanti in natura humana, cujus virtute pater poteſt generare hominem; ſed termini divinarum proceſſionum procedunt ſimiles in natura divina, quælibet enim Perſona procedens Deus eſt; ergo &c. Unde Hilar. lib. 5. de Trin. *Nativitas* (inquit) *Dei non poteſt eam, ex qua profecta eſt, non tenere naturam: nec enim aliud, quam Deus, ſubſiſtit, quod non aliunde, quam de Deo ſubſiſtit.*

Notat tamen Sanctus Thomas ibi *ad* 3. quod cum dico eſſentia eſt principium generandi, non ſumo eſſentiam abſolute, ut communis eſt, ſed ſumo eſſentiam in recto, & in obliquo generationem: *Sicut ſi dicerem eſſentiam Patris. Unde quantum ad eſſentiam, qua ſignificatur, potentia generandi communis eſt tribus Perſonis; quantum autem ad notionem, qua connotatur, propria eſt Perſonæ Patris.*

XV. Dices. Quod non generat, nec generatur, non eſt principium, aut terminus divinarum proceſſionum: atqui eſſentia divina nec generat, nec generatur, nam in Concil. Later. IV. anno 1215. ſub Innocentio III. damnatus fuit libellus, quo Abbas Joachim aſſeruerat, eſſentiam & generare, & generari.

Reſpondeo, diſt. maj. quod &c. non eſt principium *quod*, aut terminus *qui*, conc. maj. non eſt principium *quo*, aut terminus *quo*, nego maj. Sicut ergo licet anima ſit principium *quo* radicale generationis hominis, non tamen verificatur quod anima generet, ſed homo; quia actiones proprie ſunt principii *quod*, & ſuppoſiti: ita eſto eſſentia divina Patris, ſit principium *quo* radicale generationis, non ſequitur, quod dici poſſit: *eſſentia divina generat, aut generatur.* Et ideo Concilium Lateranenſe merito damnavit libellum Abbatis Joachim, dicendo; eſſentia non eſt generans, neque genita, neque procedens, ſed *eſt Pater qui generat, Filius, qui gignitur, Spiritus Sanctus, qui procedit*; quod ad ſolum principium *quod* refe rri poteſt.

XVI. Porro, quod Concilii mens fuerit negare, eſſentiam eſſe principium *quod* divinarum proceſſionum; non vero negare, eam eſſe principium *quo*, patet ex ratione, quam adducit ibi cap. 2. *Damnamus*, nempe, *ut diſtinctiones ſint in Perſonis, & unitas in natura*, diſtinctio autem, quæ debet eſſe in Perſonis, attendi debet in principio *quod*, nihil poteſt eſſe producens, & productum, non autem in principio *quo* radicali: immo in hoc attenditur ſimilitudo, & unitas inter generans, & genitum. Ecce doctrinam S. Thomæ laudata *q.* 41. *art.* 5. *ad* 1. his terminis: *Agens autem diſtinguitur a facto, & generans a generato. Sed id, quo generans generat, eſt commune genito, & generanti; & tanto perfectius, quanto perfectior fuerit generatio. Unde cum divina generatio ſit perfectiſſima, id, quo generans generat, eſt commune genito, & generanti, & idem numero, non ſolum ſpecie, ſicut in rebus creatis. Per hoc ergo, quod dicimus, quod eſſentia divina eſt principium, quo generans generat, non ſequitur, quod eſſentia divina diſtinguatur; ſicut ſequeretur ſi diceretur, quod eſſentia divina generat.* Hoc autem ſequebatur in ſententia Abbatis Joachim, qui, cum reprehenderet Petrum Lombardum, eo quod dicendo, *quoniam quædam ſumma res eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & illa non eſt generans, neque genita, nec procedens*, Non tam Trinitatem aſſereret, quam quaternitatem, nimirum *tres perſonas, & illam communem eſſentiam quaſi quartam.* Volens propterea, quod, ſicut Pater generat, ita eſſentia generat, coactus fuit ponere diſtinctionem, nedum in Perſonis, ſed in eſſentia, & dicere: *nulla res eſt, quæ ſit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, nec eſt eſſentia, nec ſubſtantia, nec natura, quamvis* concederet; *quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt una eſſentia, una ſubſtantia, una natura* unitate tamen non *vera, & propria, ſed quaſi collectiva, & ſimilitudinaria; quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, & multi fideles una Eccleſia.* Quare Joachim ponebat diſtinctionem nedum in Perſonis, ſed in eſſentia, ut refert præfatum Concilium citato capite *Damnamus.*

§. IV.

An principia quo proxima divinarum proceſſionum ſint relationes paternitatis, & ſpirationis activa.

XVII. DIco tertio. Principium *quo* ptoximum divinarum proceſſionum non eſt in recto adhuc inadæquate relatio, puta paternitas, aut ſpiratio activa. Eſt expreſſa Div. Thomæ *q.* 41. *laudata art.* 4. & *q.* 2. *de potentia art.* 2. Et probatur ratione ſuperius allata ex S. D. Principium *quo* actionis eſt illud, quo agens producit ſibi ſimile, ſeu in quo productum aſſimilatur producenti; omne enim producens aliquid per ſuam actionem producit ſibi ſimile quantum ad formam. qua agit: atqui relatio, puta paternitatis, non eſt id, in quo productum aſſimilatur producenti; Filius enim Dei non aſſimilatur Patri in paternitate, cum non ſit Pater, nec generet; & Spiritus Sanctus non aſſimilatur Patri, & Filio in ſpiratione activa, cum non ſpiret; ergo &c.

Secundo probatur ex eodem S. Doctore. *Paternitas licet ſignificetur ut forma Patris, eſt tamen proprietas perſonalis habens ſe ad Perſonam Patris, ut forma individualis ad aliquid individuum creatum*: ſed *forma individualis in rebus creatis conſtituit* quidem *perſonam generantis, non autem eſt, quo generans generat, alioquin Socrates generaret Socratem*; ergo *neque paternitas* divina *poteſt intelligi ut quo Pater generat, ſed ut conſtituens Perſonam generantis, alioquin Pater generaret Patrem.*

XVIII. Dices primo. Principium *quo* proceſſionum debet eſſe illud, quo producens, & productum diſtinguuntur; principium enim relative dicitur: atqui in Deo producens, & productum ſolis relationibus diſtinguuntur: ergo principium *quo* in divinis debet eſſe aliquid relativum, & notionale.

Reſpon-

Reſpondeo, negando maj. Nam principium *quo* ex ſua ratione formali non eſt ratio diſtinctiva producentis a producto, ſed potius aſſimilativa utriuſque; cum ex dictis agens intendat aſſimilare ſibi terminum in principio *quo*, ſive in forma, qua agit. Diſtinctio ergo ſumitur ex principio *quod*, & ex forma ipſum conſtituente in ratione principii *quod*, ſeu perſonæ, quæ quidem eſt relatio. At *potentia* (ait D. Thom. 1. p. q. 41. art. 5. ad 1.) *non ſignificat ipſam relationem principii, alioquin eſſet in genere relationis, ſed ſignificat id, quod eſt principium, non quidem ſicut agens, dicitur principium, ſed ſicut id, quo agens agit, dicitur principium.* Deinde ſubjungit verba ſuperius laudata, oſtendens in principio *quo* attendi potius ſimilitudinem, & in principio *quod* diſtinctionem. Et q. 2. de potentia art. 2. ad 3. *In rebus creatis* (inquit) *principium generationis eſt duplex, ſcilicet generans, & quo generat. Sed generans quidem per generationem diſtinguitur a genito, cum nulla res generet ſeipſam. Sed id, quo generans generat non diſtinguitur, ſed eſt commune utrique.*

Quod vero potentia ſeu principium *quo* relative dicatur, per ſe loquendo, falſum eſt, nam potentia a Philoſopho ponitur in genere qualitatis, non relationis. Potentia enim, præſertim ſi ſit immanens, per ſe eſt quidem principium actionis, non tamen ſemper eſt principium termini per actionem producti, multæ enim dantur actiones, quæ non habent aliquid operatum. Quod ergo potentia ſit principium, & actionis, & termini per actionem producti, accidit ei, ex quo tali, vel tali modo in hac, vel illa perſona modificatur, ſicut imaginativa pro ut in homine perfectiorem habet actionem, quam ut in bruto; & vis cognoſcitiva poſita in duobus hominibus, ex conditione individuali unius habet, quod clarius alio intelligat. Sic ergo ſi aliquod commune tribus divinis Perſonis (puta intellectio) ut poſitum in una Perſona ſit productivum termini, & relationi conjunctum, hoc non habet per ſe, ſed ex conditione individuali illius Perſonæ. Quare concludit S. Thomas cujus eſt hæc doctrina q. 2. de potentia art. 2. in corp. *in ratione potentiæ includitur quodammodo paternitas, etiam quantum ad id, quod eſt generationis principium:* ita ut tamen potentia ſignificetur in recto, & relatio in obliquo: ſicut ſi dicam potentiam Patris, ut docet idem S. Doct. 1. *part. quæſt.* 41. *art.* 5. *ad* 3.

XIX. Dices ſecundo. Illud in recto eſt principium proceſſionum, quo Pater, & Filius conſtituuntur in ratione principii: atqui in eſſe principii conſtituuntur per relationes paternitatis, & ſpirationis activæ; ergo &c.

Si reſpondeas per relationes conſtitui quidem Patrem, & Filium in ratione principii ſubſiſtendi, ſeu in ratione perſonæ, non tamen in ratione principii orandi; quia ſubſiſtentia facit quidem ſubſiſtere in ſe, & incommunicabiliter alteri, & eſt conditio ad operandum ut *quod*, non tamen facit operari, neque eſt forma, ſeu principium operandi.

XX. Contra eſt. Si Perſonæ non conſtituuntur in ratione principii operandi per relationes, conſtituentur per aliquid abſolutum, & commune; ergo cum omne abſolutum in qualibet Perſona ſit, jam vis generativa erit in Filio, & Filius erit potens generare; & vis ſpirativa erit in Spiritu Sancto, qui ſimiliter erit potens ſpirare.

Reſpondeo, diſt. anteced. commune, ut commune, nego antec. ut proprium hujus Perſonæ, conced. antec. & nego conſ. Reſponſio patet ex D. Thoma nuper allato q. 41. 1. p. art. 5. ad 3. *cum dico* (inquit) *potentiam generandi, potentia ſignificatur in recto, & generatio in obliquo, ſicut ſi dicerem eſſentiam Patris. Unde quantum ad eſſentiam, qua ſignificatur, potentia generandi communis eſt tribus Perſonis; quantum autem ad notionem, qua connotatur, propria eſt Perſonæ Patris.* Sed hæc ex ſequentibus clariora fient.

§. V.

An principium quo *proximum divinarum proceſſionum ſint intellectus, & voluntas.*

XXI. DIco quarto. Principia *quo* proxima divinarum proceſſionum ſunt, reſpectu proceſſionis Verbi, intellectus, non eſſentialis, ſed notionalis, ſeu ut Patris; reſpectu vero proceſſionis Spiritus Sancti, voluntas, ut notionalis, ſeu, ut Patris, & Filii; ita tamen, ut principium in recto ſit intellectus, & voluntas; relatio autem, ſive paternitatis, ſive ſpirationis activæ ſit conditio modificans, requiſita, ut ſint principium,

XXII. Quamvis ſenſus hujus Aſſerti explicatus maneat ex dictis §. *præcedenti*, ſecundum D. Thom. doctrinam in reſponſ. ad primam inſtantiam; attamen pro clariori luce aliqua addere inutile non erit. Novum non eſt, quod eadem forma poſita in diverſis ſubjectis, & diverſimode modificata diverſos præſtet effectus in uno, quos in alio non præſtat. Sic calor in animali generat carnem, quam in igne non generat; in femina producit lac, non in viro. Gratia in nobis, qui ſumus perſonæ extraneæ Deo, facit nos filios adoptivos; non in Chriſto, qui eſt Perſona divina. Ita ergo intellectus, ut in Patre, in quo invenit conditionem fœcunditatis, quia Pater eſt, habet rationem potentiæ generativæ, & de facto generat Filium, quod in Filio non facit, quia deficit conditio paternitatis; & voluntas in Patre & Filio, quia modificatur relatione ſpirationis activæ, habet vim potentiæ ſpirativæ, & de facto ſpirat, quod in Spiritu Sancto, in quo eſt voluntas, ſed abſque tali modificatione, & conditione non præſtat.

XXIII. His ita explicatis probatur prima pars, nempe quod principia proxima divinarum proceſſionum ſint intellectus, & voluntas. Nam Perſonæ, quæ procedunt, una procedit ut Verbum, altera ut Amor, & his nominibus propriis, & notionalibus exprimuntur in Scripturis, & Patribus: ſed Verbum immediate procedit per intellectum, & Amor per voluntatem; ergo &c.

XXIV. Secunda vero pars, nempe quod intellectus, & voluntas ſint principia, non ſecundum ſe, ſed ut modificantur relationibus paternitatis, & ſpirationis activæ, probatur. Si potentia proxima generandi Filium, & ſpirandi Spiritum Sanctum ſiſteret in intellectu, & voluntate, ut præciſe abſoluta ſunt, & communia, jam potentia generandi eſſet in omnibus Perſonis, ſicut & potentia ſpirandi; ergo Filius poſſet generare Filium, & Spiritus Sanctus alium ſpiritum ſpirare: & cum id, quod eſt poſſibile in Deo, de facto in Deo ſit, Filius de facto haberet Filium, & Spiritus Sanctus haberet Spiritum Sanctum; & ſic in Deo plures, immo infinitæ perſonæ eſſent. Vel ſi intellectus non eſſet generativus in Filio, cur eſſet in Patre? Si voluntas non eſſet ſpirativa in Spiritu Sancto, cur eſſet in Patre & Filio, cum ejuſdem rationis in omnibus ſit?

XXV. Secundo probatur eadem ſecunda pars. Relationes ſolæ in divinis illæ ſunt, quæ prædicata abſoluta, eſſentialia, & communia reddere poſſunt notionalia, & propria, juxta effatum: *omnia in divinis communia ſunt, ubi non obviat relationis oppoſitio*; ſed potentia generandi, & ſpirandi notionalia ſunt, & propria; ergo id habent, quia modificantur relatione.

XXVI. Dices primo. Quod fundatur in generatione, & ideo ſupponit generationem, nequit concurrere adhuc per modum conditionis modificantis ad conſtituendum principium, ſeu potentiam generativam: ſed relatio paternitatis fundatur in generatione, & illam ſupponit, ideo enim eſt Pater, quia genuit, ergo nou poteſt concurrere, adhuc ut conditio &c.

Reſpondeo, diſt. min. relatio paternitatis, ut relatio eſt referens Patrem ad Filium, fundatur &c. conc. min. ut conſtituens Perſonam Patris, nego min. Reſponſio hæc eſt D. Thomæ *q.* 10. *de potentia art.* 3. ubi poſtquam docuit, relationes in nobis, quia accidentia ſunt, non poſſe conſtituere perſonam, quæ eſt aliquid ſubſiſtens in genere ſubſtantiæ, bene tamen in Deo, in quo, quia relatio ſecundum rem eſt ipſa natura divina, Hypoſtaſim divinam conſtituere poteſt, proſequitur. *Eſt ergo alius modus intelligendi, quo intelligitur relatio, ut conſtitutiva divinæ Perſonæ, & alius quo intelligitur relatio, ut relatio, eſt. Unde nihil prohibet, quod quantum ad unum modum intelligendi relatio præſupponat proceſſionem, quantum vero ad alium ſit e converſo. Sic ergo dicendum eſt, quod ſi conſideretur relatio ut relatio eſt, præſupponit proceſſionis intellectum. Si autem conſideretur, ut eſt conſtitutiva Perſonæ, a qua eſt proceſſio, eſt prior ſecundum intellectum, quam proceſſio, ſicut paternitas, in quantum eſt conſtitutiva perſonæ Patris, eſt prior ſecundum intellectum, quam generatio. Relatio autem, quæ eſt conſtitutiva Perſonæ procedentis, etiam inquantum eſt conſtitutiva perſonæ eſt poſterior ſecundum intellectum, quam proceſſio; ſicut filiatio, quam nativitas. Et hoc ideo, quia Perſona procedens intelligitur ut terminus proceſſionis.* Hæc D. Thomas.

XXVII. Dices ſecundo. Potentia generativa eſt in Filio: at ſi neceſſario connotaret paternitatem, non eſſet in Filio; ergo &c. Major probatur. Tum quia potentia generativa continetur ſub Omnipotentia: Unde Auguſtinus *lib.* 2. *alias* 3. *contra Maximin. cap.* 7. dicit, quod ſi Deus non potuit generare ſibi æqualem, *ubi eſt Omnipotentia Dei Patris*? at Omnipotentia eſt in Filio; ergo &c. Tum etiam, alias Filius non eſſet æqualis Patri, cum careret potentia generativa, quam Pater habet, Tum quia Auguſtin. *lib.* 2. *alias* 3. *contra Maximin. cap.* 12. oſtendens, Patrem non eſſe potentiorem Filio, etſi Pater genuerit Creatorem, Filius vero non, dicit: *Neque enim non potuit* (Filius generare) *ſed non oportuit*; ergo in in Fiiio vim generativam fatetur Auguſtinus, eſto non actum, quia non oportuit.

XXVIII. Reſp. diſt. maj. potentia generativa quantum ad rectum, pro ut ſcilicet nominat intellectum, conced. maj. quantum ad connatum, ſeu modificativum relationis, nego maj. Ad prob. primam dico, potentiam generativam non claudi ſub Omnipotentia abſolute, & ut communi, ſed, ut ait Auguſtinus, ſub *Omnipotentia Dei Patris*, ſeu ut modificata paternitate.

XXIX. Ad ſecundam probat. nego illatum. Nam, ut ait D. Thom. 1. p. q. 42. art. 6. ad 3. *ſicut eadem eſſentia quæ in Patre eſt Paternitas, in Filio eſt filiatio; ita eadem eſt potentia, qua Pater generat, & qua Filius generatur. Unde manifeſtum eſt, quod quidquid poteſt Pater, poteſt Filius: non tamen ſequitur, quod poſſit generare, ſed mutatur quid in ad aliquid. Nam generatio ſignificat relationem in divinis. Habet ergo Filius eamdem potentiam, quam Pater, ſed cum alia relatione. Nam Pater habet eam, ut dans: & hoc ſignificatur, cum dicitur, quod poteſt generare. Filius autem habet eam, ut accipiens: & hoc ſignificatur, cum dicitur, quod poteſt generari.*

XXX. Ad tertiam dico: Petavium *lib.* 7. *Theologic. dogmat. de Trinit. cap.* 13. *num.* 6. exiſtimaſſe, mentem Auguſtini fuiſſe, quod Filius revera potuerit alium Filium generare. Sed abſit, ut hoc tanto Doctori tribuamus. Dum ergo ait, *neque enim non potuit*, ſolum indicare voluit; quod non ex impotentia ſui, ſed ex rei natura venit, quod Filius non generet. Ita reſpondet S. Thomas *q.* 9. *de potentia art.* 9. *ad* 1. his verbis: *Ideo dicit Auguſtinus, quod non eſt dicendum, quod Filius non potuit generare, ſed non oportuit, quia non ex impotentia Filii eſt, quod non generat ut hoc quod dicit* non potuit *ſumatur privative, & non ſimpliciter negative. Per hoc autem quod dicit, quod* non oportuit, *ſignificat, quod ſequeretur inconvenions*

venions

veniens ſi in divinis Filius alium generaret. Quod ex quatuor capitibus oſtendit D. Thom. immo ipſemet Auguſtinus poſt relata verba ſubjungens: *immoderata enim eſſet divina generatio, ſi genitus Filius Nepotem gigneret Patri, quia & ipſe Nepos, niſi Avo ſuo Pronepotem gigneret, ſecundum veſtram mirabilem ſapientiam* (Maximinum, & Arianos alloquitur) *impotens diceretur. Similiter etiam ille ſi Nepotem non gigneret Avo ſuo, & Pronepotem Proavo ſuo, non a vobis appellaretur omnipotens, nec impleretur generationis ſeries, ſi ſemper alter ex altero naſceretur, nec eam perficeret ullus, ſi non ſufficeret unus*. Illud ergo *non oportuit* Auguſtini indicat generationem alterius Filii in Deum nedum de facto non eſſe, ſed nec poſſe, non ex defectu potentiæ in Filio genito, ſed natura rei ita poſtulante.

D u b i u m III.

An Verbi proceſſio ſit vera generatio?

§. I.

Generationis Idea.

I. **O**Bſervat S. Thomas 1. part. qu. 27. artic. 2. *quod generationis nomine dupliciter utimur. Uno modo communiter ad omnia generabilia, & corruptibilia: & ſic generatio nil aliud eſt, quam* mutatio de non eſſe ad eſſe. *Alio modo proprie in viventibus: & ſic generatio ſignificat* originem alicujus viventis a principio vivente conjuncto: *& hæc proprie dicitur* nativitas. *Non tamen omne hujuſmodi dicitur genitum, ſed proprie, quod procedit ſecundum rationem ſimilitudinis in natura*, non ſolum ejuſdem generis, ſed *ejuſdem ſpeciei*.

II. Hæc definitio generationis propriæ viventis ſic tradita a D. Thom. explicanda eſt. Dicitur *origo*, ad ſignificandum, quod, ut vivens generetur, debet oriri, naſci, & procedere a ſuo principio. Dicitur *viventis a vivente*, quo denotatur, genitum debere oriri a generante modo vitali diffundente ſe per ſubſtantialem vitæ ſuæ communicationem; & inſuper ly *a vivente* ponitur ad indicandum, genitum debere procedere de ſubſtantia ipſius generantis, in quo a creatione diſtinguitur: quod enim creatur, non fit de ſubſtantia alterius, ſed prorſus ex nihilo. Additur ly *conjuncto*, quia generans debet conjungi cum genito, non ſolum ſecundum ſuam virtutem (hoc enim habent omnia agentia) ſed ſecundum ſuam ſubſtantiam, vel ſaltem ſuæ ſubſtantiæ portionem. Animantia enim ſeipſa ad generandum movent, non ſolum externa efficientia, & diffuſione virtutis, ſicut diffuſione caloris ignis generat ignem; ſed portione ſuæ ſubſtantiæ ad hoc elaborata, & a ſe deciſa genito conjunguntur. Sic arbor ſemine a ſe deciſo, & terræ mandato arborem gignit. Sic mas parte prolifica a ſe in feminam immiſſa, proli, quam generat, conjungitur: Adeoque conſentanea eſt generationi viventium iſta conjunctio ſubſtantiæ generantis cum genito, ut quo perfectior ſit generatio, eo perfectior, & intimior debeat eſſe iſta conjunctio.

III. Additur *in ſimilitudinem naturæ*, ut indicetur, quod genitum, ut vere genitum ſit, debet procedere omnino ſimile in natura cum generante; & non hoc ſolum, ſed ulterius debet procedere per actionem deſtinatam a natura ad aſſimilandum genitum in natura generantis; defectu cujus Heva eſto proceſſerit ſimilis in natura Adamo, non tamen fuit genita, aut filia Adami, quamvis ex portione ſubſtantiæ ab ipſo extracta formata; quia ab eo non proceſſit actione data ad formaliter aſſimilandum in natura. Et ſi ex digito ſuo aliquis alium hominem formaret, eadem ratione non diceretur generaſſe illum.

IV. Rurſus addit S. Th. *q. 27. citata art.* 2. ut aliquod genitum ſit, procedere debet actione formaliter aſſimilativa illius cum generante in natura, non ſolum generica, ſed etiam ſpecifica: nam vermes, qui generantur in animalibus, non habent rationem generationis, & filiationis, licet ſit ſimilitudo ſecundum genus; & licet per generationem hominis generentur etiam pili, capilli &c. hi tamen non dicuntur geniti, aut filii, ſed ſolus homo, qui procedit ſimilis in natura ſpecifica hominis generantis; quod ſi ab hac ſimilitudine defecerit, monſtrum potius dicitur; ſicut monſtruoſa eſt generatio Muli, qui a ſimilitudine ſpecifica cum ſuis generantibus deficit.

V. Concludit tandem S. Doctor, quod in viventibus, quæ procedunt de potentia ad actum vitæ, ſicut ſunt homines, & animalia, generatio utramque generationem includit; nimirum & propriam viventium, & etiam communiter dictam, prout eſt mutatio de non eſſe ad eſſe: *Si autem aliquod ſit vivens, cujus vita non exeat de potentia in actum, proceſſio (ſi qua in tali vivente invenitur) excludit omnino primam rationem generationis* (quæ dicit mutationem de non eſſe ad eſſe) *ſed poteſt habere rationem generationis, quæ eſt propria viventium*.

§. II.

Generationis Idea applicatur Verbo Divino.

VI. **A**Nimadvertentes Ariani, quod ſi ſemel admitterent, Filium Dei eſſe vere ac proprie genitum, neceſſario admittere deberent, eum fore ejuſdem ſubſtantiæ cum Patre, eique conſubſtantialem, ut contra illos ſtrenue contendebant Patres, inter quos Hilarius, præſertim *lib. 6. de Trinit.* totam artem, & arma ſua converterunt ad removendam a Deo veram generationem, aſſerentes, eam multa indigna Deo ſecum afferre: nimirum deciſionem, ac profluvium ſubſtantiæ generantis, & proinde mutationem. In quorum ſententiam quantum ad hoc præiverat Sabellius, adimens & ipſe Filio divino veram filiationem, & conſequenter generationem. Verum cum Eccleſia Catholica.

VII. Dico. Proceſſio Verbi divini veram notionem generationis habet, & conſequenter Verbum procedens eſt vere genitum, & Filius. Hoc teſtatur David Pſalm. 2. v. 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie* (ideſt in æternitate, quæ continuum hodie eſt ſine heſterni, & craſtini viciſſitudine) *genui te*. Quæ verba ad probandam veram & naturalem Filii Dei generationem aſſumit S. Paulus *Hebr. 1. v. 4. 5. &c.* dicens: *cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu; ego hodie genui te?* Quibus verbis extollit Filium Dei ſupra Angelos ex qualitate, & excellentia filiationis: at ſi eſſet Filius mere adoptivus, & non naturalis, male concluderet, cum & Angeli filiatione adoptiva ornati ſint; ergo &c. Rurſus; ante præfata verba dixerat Paulus; quod Filius Dei eſt *tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit*, hoc eſt nomen Filii: at hæc differentia in nomine Filii non ſubſiſteret, niſi Filius Dei eſſet Filius naturalis; ergo &c. Tandem ut ſe explicet, eum vocat ita Filium, ut ſit *figura* (ideſt imago perfecta) *ſubſtantiæ ejus* (ideſt Dei Patris) *portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dextram majeſtatis in excelſis*. Quis autem niſi inſanus aptaret hæc omnia, niſi Filio naturali Dei, per omnia Deo Patri conſubſtantiali?

VIII. Idem colligitur ex *Pſalm.* 109. ubi *v.* 3. dicitur: *In ſplendoribus Sanctorum: ex utero ante luciferum genui te. Ex utero* (inquit Hilarius lib. 6. de Trinit. num. 16.) *ut non ex nihilo creatio ſubſtitiſſe, ſed ex ſe Unigeniti ſui naturalis nativitas doceretur*. Item Iſaiæ 53. v. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* ubi loquitur de generatione æterna, nam temporalis enarrari poteſt. Inſuper de generatione naturali, nam adoptivam quis non intelligit? Pariter Jo: 3. verſ. 16. *ſic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret*. Et hoc Chriſtus ipſe in Evangelio ſæpe teſtatur, vocans ſe Filium Dei, Deum vero Patrem ſuum.

IX. Accedunt Patres, qui variis rationibus contra Arianos veram Verbi generationem oſtendunt. Ex quibus Athanaſius *de Decret. Nicænæ Synodi n.* 11. oſtendit, quod, ſicut non eodem modo creant homines, nec eodem modo ſunt, quo creat, & eſt Deus; *ita aliter procreantur homines, & aliter Filius ex Patre naſcitur. Fœtus enim hominum, patres quodammodo ſunt gignentium, quippe cum nec ipſa corporum natura ſimplex ſit, ſed fluxa, atque ex partibus compoſita. Nam homines gignendo emittunt ex ſe aliquid, quædamque rurſus ex cibis, quos accipiunt, in eos defluunt, quæ quidem cauſa eſt, cur multorum liberorum pro tempore parentes fiant. Deus autem individuus eſt, ac proinde abſque diviſione, nihilque patiendo Filii eſt Pater. Nihil enim ex re incorporea effluere, nihilve in eam, uti hominibus accidit, poteſt influere. Quocirca cum Deus ſit natura ſimplex, unius quoque ac ſolius Filii eſt Pater &c.*

X. Si Arianus dixerit, Deum habere quidem Filium, ſed diſſimilem in natura. Et rurſum: generationem in Deo non eſſe accipiendam proprie, & conſequenter nec Filium proprie;

Contra primum ſtat S. Auguſt. *lib. 2. al. 3. contra Maxim. cap.* 6. ubi poſtquam dixit, quod animalia *quamvis terrena, & mortalia, hoc tamen gignunt, quod ipſa ſunt, ut homo hominem, canis canem*: Ad Arianos converſus ſic ait: *Quandoquidem creaturam corruptibilem cernitis, hoc quod ipſa eſt gignere fœtum ſuum, & Deum Patrem omnipotentem creditis non potuiſſe niſi ejus degenerante natura gignere unicum ſuum*; Et *c.* 6. hoc diſcurſu eos urget: Deus Pater æqualem ſibi gignere Filium, aut non potuit, aut noluit. *Si non potuit, infirmus; Si noluit, invidus invenitur. Sed utrumque hoc falſum eſt. Patri igitur Deo Filius verus æqualis eſt.*

Lib. autem primo *contra eumdem capit.* 6. poſtquam oſtendit, Arianos plus dare fœtibus animalium, quam Filio Dei; nam illa generant quod ipſa ſunt, & fœtibus eorum conceditur creſcere, & ad robur parentum pervenire. *Filius autem Dei, ut vos dicitis, & docetis, minor Patre genitus ſic remanſit, atque ut ad Patris formam non poſſet pervenire, nec crevit*; at proinde Patrem generaſſe Filium degenerem: poſt multa ſic pergit: *Audiant Catholici, unde erubeſcant hæretici. Filius viri fortis, ſi non habeat fortitudinem, degener dicitur; & tamen homo eſt, quod & Pater eſt, atque in diſſimili vita, non eſt tamen aliena ſubſtantia. Vos Unigenitum Dei Filium ita degenerem vultis, ut ipſam Patris ei ſubſtantiam denegetis: minorem natum, minorem remanſiſſe jactatis: non ullam datis ætatem, qua poſſit augeri, non datis eamdem formam, qua poſſit æquari.*

Hoc idem urget *ſerm. 51. de verbis Domini nunc* 139. ubi cap. 2. ulterius hoc diſcurſu procedit: *Si ergo Filius alterius ſubſtantiæ eſt quam Pater, monſtrum generavit Pater. Quando enim creatura, ideſt mulier, parit, quod non eſt homo, monſtrum dicitur. Ut autem non ſit monſtrum, hoc eſt qui natus eſt, quod eſt ille qui genuit, ideſt, homo & homo, equus & equus, columba, & columba, paſſer, & paſſer*. Vel ergo Filius Dei eſt monſtrum, vel eſt hoc, quod eſt Pater, nimirum Deus.

XI. Contra ſecundum reſurgunt omnia ſuperius allata ex D. Paulo, & nuper ex Auguſtino. Et ulterius Divus Hilarius *lib. 6. de Trin. n.* 45. ſic arguit. Paulus Rom. 8. v. 32. *Qui etiam* (inquit) *proprio Filio ſuo non pepercit*. Si filius eſt proprie; ergo eſt proprie genitus. *Nunquidnam etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis eſt nomen?* Deinde ex Cyrillo *Dialog. 2. de Trin.* ſic arguo. Dantur veri filii Dei adoptivi, & extranei in natura a Deo; dari ergo debet verus Filius naturalis Dei ejuſdem naturæ cum Deo. Conſequentia probatur; Filiatio adoptiva eſt conſequens, & exemplata

a filia-

a filiatione naturali, & imago ejus: ſed ubi datur conſequens, datur & antecedens, ubi datur exemplum, datur & exemplar, ubi datur imago, datur & archetypus; ergo &c. Major probatur ex Paulo Eph. 3. ver. 15. ubi *Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti* dicit eſſe, *ex quo omnis Paternitas in Cælis, & in terra nominatur*. Ex quibus S. Athanaſius *orat. 1. contra Arianos nu.* 23. ait, quod ſicut concipimus, Deum aliter eſſe, ac operari, nec eo modo eſſe, & operari, ſed alio modo, quam nos: *Similiter quoque clarum eſt, eum gignere, non ut gignunt homines, ſed ut gignit Deus; neque enim Deus hominem imitatur, ſed potius homines propter Deum, qui proprie, & ſolus vere Pater ſui Filii eſt, patres quoque ſuorum liberorum ſunt appellati: Nam ex ipſo*: omnis paternitas in Cælis, & in terra nominatur.

XII. Ut vero generationis proprie talis ideam Filio Dei, ut poſſumus, applicemus (non pro ut in nobis, in quibus invenitur cum mutatione de non eſſe ad eſſe, ſed ſecundum conceptum proprium generationis viventium) ſic diſcurramus. Ea eſt vera generatio, cui proprie convenit, quod ſit origo viventis a vivente principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ; ita ut quo intimior fuerit conjunctio, & perfectior ſimilitudo in natura, eo magis propria, & perfecta ſit generatio, ut ſuperius cum Div. Th. dictum eſt: ſed totum hoc convenit generationi Verbi Dei: eſt enim origo viventis, nam Verbum oritur, & naſcitur a Patre: eſt a vivente, a Patre nimirum, qui eſt ipſa vita: eſt a principio conjuncto, non quidem per deciſionem, aut partitionem ſuæ ſubſtantiæ, ſed per integram, perfectam, & totalem ſuæ naturæ communicationem: eſt tandem in ſimilitudinem naturæ cum Patre, quia Verbum, ut dicemus, procedit actione formaliter aſſimilativa; & ſua proceſſione accipit non tantum ſimilem, ſed eamdem prorſus naturam, quam habet Pater, & qua Pater Deus eſt.

§. III.

Arianorum ratiuncula contra generationem Filii.

HUC ſpectant omnia, quæ contra Verbi divinitatem ab Arianis ſupra oppoſita, & a nobis ſoluta ſunt. Ulterius tamen ad præſens.

XIII. Arguebant primo ſic. Generatio importat mutationem: ſed hæc eſt indigna Deo; ergo &c.

Si reſpondeas ex dictis, generationem quidem communiter dictam, & ut in creaturis, quæ tranſeunt de potentia in actum, invenitur, eſſe mutationi conjunctam; non tamen generationem propriam viventium, quæ ex ſua notione præſcindit a mutatione; unde poſitam in Deo, qui non tranſit de potentia in actum, eſſe omnis mutationis expertem.

XIV. Contra. Ideo generatio creata involvit mutationem, quia per illam genitum accipit eſſe ab alio: ſed etiam Verbum accipit eſſe ab alio; ergo &c.

Si reſpondeas, non ideo præciſe generationem in creatis involvere mutationem, quia genitum per illam accipit eſſe ab alio; ſed qua accipit eſſe diverſum a generante, quod prius vel ſaltem ſuapte natura non habebat; at Verbum divinum generatione ſua accipit quidem eſſe a Patre, ſed idem omnino, quod habet Pater; nec unquam fuit, nec potuit eſſe ſine illo, cum Filius ita ſit eſſentialiter Deus, ſicut eſt Pater.

XV. Contra ulterius. Verbum divinum ex vi generationis vere producitur: ſed productio importat novum eſſe, & diſtinctum; ergo &c.

Reſpondetur, quod Verbum divinum vere producitur quoad eſſe perſonale, & relativum, quo opponitur, & diſtinguitur a Patre, non tamen quoad eſſe eſſentiale & abſolutum: hoc enim ei a Patre communicatur, & eſt ipſiſſimum, quod habet Pater.

XVI. Dices. Verbum producitur quantum ad eſſe Perſonale; ergo ſaltem quoad eſſe perſonale mutabitur.

Nego conſequentiam, & ſuppoſitum. Nam omnis mutatio dicit acquiſitionem novæ actualitatis, & perfectionis: cum autem eſſe præciſe perſonale, vel non dicat propriam actualitatem, vel iſta incluſa ſit in actualitate eſſentiæ divinæ, quæ eadem eſt in Filio, ac in Patre; ideo nulla ſequitur mutatio. Quare Div. Thom. 1. part. qu. 27. art. 2. ad 3. *In ipſa* (inquit) *perfectione divini eſſe continetur, & Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi ſicut & quæcumque ad ejus perfectionem pertinent.*

XVII. Objici poteſt ſecundo. Proceſſio Verbi non eſt in ſimilitudinem naturæ; ergo non eſt vera generatio. Probatur ant. ſimilitudo petit diſtinctionem; ſed Verbum divinum eſt ejuſdem prorſus naturæ cum Patre; ergo &c.

Reſpondetur, neg. ant. ad prob. dico, quod ſimilitudo petit quidem diſtinctionem inter ſubjecta, vel perſonas, quæ dicuntur ſimiles, non tamen in forma, in qua ſunt ſimiles. Si enim duo homines haberent eamdem albedinem, hi dicerentur maxime ſimiles in illa; quia, cum ſimilitudo fundetur in unitate, quo perfectior erit unitas, eo perfectior erit ſimilitudo. Et hac ratione S. Thomas concedit, divinas Perſonas eſſe etiam invicem æquales *1. p. quæſt. 42. art. 1. ad* 4. dicens: *in divinis Perſonis nihil eſt conſiderare, niſi eſſentiam, in qua communicant, & relationes, in quibus diſtinguuntur. Æqualitas autem utrumque importat, ſcilicet diſtinctionem Perſonarum* (*quia nihil ſibi ipſi dicitur æquale*) *& unitate eſſentiæ; quia ex hoc perſonæ ſunt ſibi invicem æquales, quod ſunt unius magnitudinis, & eſſentiæ.*

XVIII. Objici poteſt tertio. Proceſſio Verbi in creatis non eſt generatio; ergo neque in Deo.

Reſpondetur cum Div. Thoma hac *qu. 27. art. 2. ad* 2. negando conſ. *quod intelligere in nobis non eſt ipſa ſubſtantia intellectus. Unde Verbum, quod ſecundum intelligibilem operationem procedit in nobis, non eſt ejuſdem naturæ cum eo, a quo procedit*: unde *non proprie & complete competit ſibi ratio generationis. Sed intelligere divinum eſt ipſa ſubſtantia intelligentis: unde Verbum procedens, ut ejusdem naturæ ſubſiſtens, & propter hoc proprie dicitur genitum, & Filius*. Ut vero hæc Div. Thomæ doctrina melius percipiatur ſit

D u b i u m IV.

Cur proceſſio Verbi generatio ſit?

§. I.

Referuntur, & refelluntur aliquæ opiniones.

I. **H**UIC quæſtioni occaſionem dederunt Macedoniani, qui, teſte Athanaſio *Epiſt. 1. ad Serapionem num.* 15. hoc ratiocinio Spiritus Sancti divinitatem oppugnabant, *Si Spiritus res creata non eſt, neque unus ex Angelis, ſed ex Patre procedit; igitur Filius quoque ipſe dicendus eſt, proindeque ſunt duo Fratres, ipſe ſcilicet, & Verbum. Quod ſi Frater eſt; qui fieri poteſt, ut Unigenitum ſit Verbum?* Eodem argumento utebantur Ariani. Ude Maximinus (*in collatione apud Divum Auguſtinum*) ſic ajebat: *miror namque chariſſime. Cum enim & Spiritum Sanctum de ſubſtantia Patris eſſe dicatis, ſi Filius ex ſubſtantia Dei Patris eſt, de ſubſtantia Patris, & Spiritus Sanctus, cur unus Filius eſt, & alius non eſt Filius? Quid vobis deliquit, cum ex eadem ſit ſubſtantia, cum æqualis ſit Filio, ut dicis: quare enim non & ipſe hæres omnium conſtitutus, quare non ipſe Filius?*

II. Cui argumento Patres, dum reſponderent, monuerunt, evidentem rationem reddi non poſſe, cur proceſſio Filii a Patre generatio dicatur, & ſit potius, quam proceſſio Spiritus Sancti a Patre, & Filio. Unde S. Auguſtinus Maximino, ut ſupra opponenti, reſpondens lib. 2. contra Maximinum cap. 14. *Ecce* (inquit) *reſpondeo, ſive capias, ſive non capias. De Patre eſt Filius, de Patre eſt Spiritus ſanctus: ſed ille genitus, iſte procedens: ideo ille Filius eſt Patris, de quo eſt genitus; iſte autem Spiritus utriuſque, quoniam de utroque procedit... Quid autem inter naſci, & procedere interſit, de illa excellentiſſima natura loquens explicare quis poteſt? Non omne quod procedit naſcitur, quamvis omne procedat, quod naſcitur; ſicut non omne quod bipes eſt, homo eſt, quamvis bipes ſit omnis, qui homo eſt. Hæc ſcio: diſtinguere autem inter illam generationem, & hanc proceſſionem, neſcio, non valeo, non ſufficio.*

Eſto autem rationem evidentem hujus diſcriminis, ſe non invenire proteſtatus ſit Auguſtinus, & cum eo alii Patres; aliquas tamen veroſimilitudines ad hoc explicandum excogitarunt, ex quibus eam, quæ nobis magis placuerit eligemus.

III. Primo ergo putarunt aliqui; ideo Spiritus Sancti proceſſionem non eſſe generationem, bene tamen proceſſionem Filii; quia illa procedit a duobus, & inde ſequeretur, eum a duobus Patribus generari. Ita videtur reſpondere S. Auguſtinus citato *lib. 2. contra Maximin. cap.* 14. *& lib. 15. de Trinit. cap.* 27. dicens: *hic utcumque etiam illud intelligitur, quantum a talibus, quales nos ſumus intelligi poteſt, cur non dicatur natus eſſe, ſed potius procedere Spiritus ſanctus; quoniam ſi & ipſe Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod abſurdiſſimum eſt. Filius quippe nullus eſt duorum, niſi patris, & matris: abſit autem, ut inter Deum Patrem, & Deum Filium aliquid tale ſuſpicemur.*

IV. Verum hæc ratio ſuas habet difficultates. Nam primo ex hac ſequitur, quod ſaltem apud Græcos, qui Spiritum ſanctum dicunt procedere a ſolo Patre, dicendus eſſet Filius Patris, & frater Verbi, quod tamen Græci non concedunt. Secundo; Nam eſto in creatis genitum non procedat a duobus, niſi unus ſit pater, alia mater; quare, ſicut de generatione divina dicitur Filius gigni a Patre ſine matre, dici non poſſet Spiritum Sanctum gigni, & naſci a duobus nomen unius Patris habentibus, ſi actione per ſe aſſimilativa in natura ab illis procederet?

V. Alii propterea dixerunt, quod Verbum ſit Filius quia procedit ut natus, Spiritus Sanctus non, quia procedit ut datus. Et colligunt ex S. Auguſtino *lib. 5. de Trinitat. cap.* 14. de Spiritu Sancto dicente: *exiit enim non quomodo natus, ſed quomodo datus, & ideo non dicitur Filius: quia neque natus eſt, ſicut Unigenitus; neque factus, ut per Dei gratiam in adoptionem naſceretur, ſicut nos*. Quod coincidit cum aliorum opinione, quam tuetur Scotus, nimirum Filium eſſe genitum, quia procedit naturaliter, non vero Spiritum Sanctum, quia procedit voluntarie.

VI. Sed hoc non videtur diſcrimen ſufficiens, & intraneum; quia ſumptum ex parte noſtri. Dicit enim Auguſtinus ibi: *quod enim de Patre natum eſt, ad Patrem ſolum refertur, cum dicitur Filius. Et ideo Filius Patris, non & noſter. Quod autem datum eſt; & ad eum qui dedit refertur, & ad eos, quibus dedit*. Ex quo infert, quod Spiritus ſanctus ſit ſpiritus *non tantum Patris & Filii, qui dederant, ſed etiam noſter, qui accepimus*. Qui autem non videt, hanc differentiam non eſſe intraneam proceſſioni Spiritus ſancti? Immo videtur peti principium: adhuc enim reſtat quærenda cauſa, cur Filius procedat, ut natus, non autem Spiritus ſanctus, de quo eſt dubitatio, cum utrique communicetur natura divina.

Dicere autem, Verbum procedere ut natum, quia procedit naturaliter; non vero Spiritum ſanctum, quia procedit voluntarie; adhuc relinquit quærendum, quare Filius naturaliter procedat, & Spiritus Sanctus voluntarie. Quod ſi reſpondeatur cum Fraſſen, quia ille procedit per intellectum, iſte per vo-

voluntatem; rurſum quæretur: quare procedens per intellectum procedit naturaliter, ut natus, & Filius, qui vero procedit per voluntatem, etſi illi eadem natura communicetur, non procedat ut natus, & Filius? Nunquam quieſcet interrogans niſi cum D. Thoma inferius dicatur, hoc ideo eſſe, quia procedens per intellectum procedit formaliter ut ſimilis in natura; procedens vero per voluntatem, eſto ſimilis ſit in natura, non tamen hoc habet ex vi ſuæ proceſſionis.

VII. Alii excogitarunt, proceſſionem Verbi eſſe generationem, non autem Spiritus Sancti; quia illud ex vi proceſſionis accipit naturam fœcundam ad producendam aliam Perſonam, iſte non.

VIII. Sed certe non video, quid conferat ad rationem Filii eſſe fœcundum ad producendum alterum: dummodo enim procedat homo in ſimilitudinem naturæ, hunc ego vocabo Filium, etſi infœcundus ſit ad alium producendum. Quare ſi Filius, ut Græci volunt, non produceret Spiritum Sanctum, adhuc eſſet Filius. Et ſi a Patre auferretur vis ſpirativa, adhuc eſſet Pater; ergo adhuc eſſet Filius abſque tali virtute ſpirativa, quia Pater eſſe non poteſt ſine Filio. Et ratio horum eſt: quia vis ſpirativa alterius diſparate ſe habet ad rationem Patris, & ad rationem Filii.

IX. Putarunt alii, Verbum procedere ut Filium, non vero Spiritum Sanctum; quia illud procedit per modum imaginis, iſte non.

X. Sed inſufficienter. Tum quia ratio imaginis fundatur in ratione Filii: ideo enim eſt imago, quia Filius, & quia accepit naturam ſimilem Patri. Tum quia adhuc quærendum ſupereſt, quare Verbum procedat ut imago, non autem Spiritus Sanctus; cum uterque accipiat eamdem naturam a Patre. Alia ergo ratio quærenda eſt.

§. II.

Ratio D. Thomæ.

XI. DIco. Congruentior eſt modus, quo D. Thom. hac *q.* 27. *art.* 2. explicat, Verbum eſſe Filium, dicendo: Ideo Verbum eſſe Filium, ejuſque proceſſionem eſſe veram generationem; quia procedit per intellectum, qui ex proprio conceptu aſſimilativus eſt: & ſi ſit ſuum eſſe, aſſimilativus eſt in natura, ſeu in eſſe naturali. Probo; quia hac frequentius utuntur Patres: Scriptura enim pro eodem ſumit Filium in Deo, ac Verbum. Et Auguſtinus lib. 8. de Trinitate cap. 2. *Eo* (inquit) *Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius*; & ſæpe Filium comparat notitiæ, quam intra nos formamus, ut ſupra diximus: ſed Verbum eo eſt Verbum, & notitia, quia procedit per intellectum, ut ſimilitudo formæ, quæ eſt intelligendi principium, ergo hac eadem ratione eſt Filius. Baſilius quoque homil. in cap. 1. Joannis: *Cur* (inquit) *Verbum dicitur? ut oſtendatur ex mente proceſſiſſe*. Nazianzenus orat. 36. *Verbum porro* (dicitur) *quia ita ſe habet ad Patrem, ut ſermo ad mentem*. Athanaſius autem *de Decretis Nicænæ Synodi* arguens Arianos, qui Verbum Dei fatebantur, Filium vero Dei negabant, ſic ait: *ſi ſemel concedant, Deum Verba proferre, illum Patrem eſſe, omnino ignorare non poſſunt ... Verbum Dei quidem Verbum eſſe nolunt infiʃciari, ſed illud eſſe Dei Filium non conſentiunt; quod profecto ex veritatis ignorantia, & divinarum Scripturarum inſcitia provenit. Nam ſi vere Deus Pater eſt Verbi: cur qui gignitur Filius non ſit? ... ſive enim Filium dixeris, id quod ex ipſo natura oritur ſignificaſti, ſive Verbum eſſe cogitaveris, rurſus id, quod ex illo naſcitur, & ab eodem nequit ſeparari cogitaſti.*

XII. Proponitur ergo, & exponitur ratio D. Thomæ ſic. Ab eo habet proceſſio Verbi, quod ſit generatio, ex quo habet, quod ſit origo &c. min. prob. Et quidem, quod ex eo, quod ſit ab intellectu ſit origo viventis a vivente, non crediderim poſſe negari; quod vero proceſſio ſit in ſimilitudinem naturæ formaliter, & ex natura talis proceſſionis, & non ſolum concomitanter & identice, ſic explico. Intellectus, dum intelligit, & intelligendo producit Verbum, intendit illud aſſimilare, ſeu ut ſit ſimilitudo formæ, quæ illi eſt principium *quo* intelligendi; quia omne agens intendit aſſimilare terminum in principio quo agit: ſed forma, qua divinus intellectus fœcundatur ad intelligendum, & ut in Patre eſt, etiam ad producendum Verbum, eſt divina natura, quæ illi ſtat pro ſpecie, & forma; ergo dum producit Verbum, intendit producere illud ſimile in natura. Rurſus. Quia Pater producit Verbum non ex indigentia, ſeu ut in Verbo intelligat, non producit Verbum, ut præciſe in eo intelligat, ſeu ut ſibi repræſentet naturam divinam: ſed quia producit Verbum ex abundantia, & quia ſeipſum, & naturam ſuam abundantiſſime intelligit, producit Verbum non præciſe, ut naturam divinam repræſentet, ſed ut in divina natura ſubſtantialiter, & naturaliter ſit, & ſubſiſtat, ſicut ipſe; ideoque ut ſimile ſibi in natura, nedum in eſſe repræſentativo, ſed naturali.

XIII. Sic explicata ratione D. Thomæ evaneſcunt objectiones, quæ contra illam fieri ſolent, & præcipue, quod ex proceſſione per intellectum ſolum ſequatur, quod terminus procedat ut ſimilis in eſſe intentionali, ſeu ut repræſentet; non ut ſit Deus.

XIV. Nam reſpondetur, quod licet id verum ſit de intellectu producente Verbum ex indigentia, nec valente exprimere in eo ſimilitudinem perfectam, & ſubſtantialem ſui, quia intelligere, & intelligi non eſt ſuum eſſe: non tamen de intellectu perfectiſſimo, cujus intelligere, & intelligi, eſt ſuum eſſe, producente Verbum ex abundantia, & exprimente perfectiſſimam ſimilitudinem ſui. Hic enim debet producere ſimilitudinem, quæ non ſolum repræſentet Deum, ſed etiam quæ Deus ſubſtantialiter ſit, & quæ ſit partus ejus, nedum intentionalis ſed naturalis. Hic clauditur tota energia rationis D. Thomæ, & omnia ei contraria diſſipantur. Quod ſequenti dubio magis apparebit.

DUBIUM V.

Cur proceſſio Spiritus Sancti generatio non ſit?

§. I.

Ratio D. Thomæ ut congruentior eligitur.

SPiritum Sanctum non procedere per generationem, & ut natum, ſeu genitum, fides docet; cujus eſto ex ſupradictis reddi non poſſit ratio evidens, congruentiam tamen dat S. Thomas, cum quo

I. Dico. Spiritus Sancti proceſſio non eſt generatio, nec Spiritus Sanctus procedit ut genitus, & Filius, quia procedit per actum voluntatis, qui per ſe, & ex conditione ſua aſſimilativus in natura non eſt. Ita Divus Thomas hac *qu.* 27. *art.* 4. Probatur. Ideo Spiritus Sanctus non eſt Filius, neque genitus, quia ex vi proceſſionis non evadit ſimilis in natura divina: ſed ideo ex vi proceſſionis non evadit ſimilis in natura divina, quia procedit per voluntatem, quæ ex ſui conditione non eſt aſſimilativa in natura; ergo &c. Min. prob. Modus operandi voluntatis non eſt per aſſimilationem, ſed per inclinationem; neque ejus proprium eſt producere ſimilitudinem, ſed impulſum, & inclinationem amantis in amatum: ergo terminus, qui procedit per voluntatem formaliter, & ex vi characteriſtica ſuæ proceſſionis non evadit ſimilis in natura, ſed inclinatio, & impulſus. Quare concludit D. Thomas citatus: *& ideo quod procedit in divinis per modum amoris non procedit ut genitum, vel ut Filius, ſed magis procedit, ut Spiritus. Quo nomine quædam vitalis motio & impulſio deſignatur, pro ut aliquis ex amore dicitur moveri, vel impelli ad aliquid faciendum.*

II. Et hoc bene conſiderandum eſt: actus enim voluntatis ex ſua natura non tendit ad reddendum objectum ſimile ipſi volenti, ſicut intellectus, qui ſit in actu per hoc quod res intellecta ſit in ipſo ſecundum ſuam ſimilitudinem: ſed potius, cum voluntas amans exeat quaſi extra ſe, & excurrat ad objectum, quod amat, ipſa ſuo amore fit ſimilis ei, & quadam ratione in ipſum transformatur, juxta tritum axioma: *Anima magis eſt, ubi amat, quam ubi animat*. Hinc fit, ut qui aliquem amat, omnes illius affectiones induat; nec ſui ſimilitudinem alteri communicare, ſed potius alterius ſimilitudinem in ſe exprimere ſtudeat. Quamobrem recte Auguſtinus: talem (inquit) eſſe animam, qualis eſt illius amor: cæleſtem quidem, ſi cæleſtia deſiderat, terreſtrem vero, ſi fluxæ, ac labentis naturæ rebus ſtudio & affectu inhæreat.

§. II.

Solvuntur contraria.

III. PRimo argues. Spiritui Sancto ex vi ſuæ proceſſionis communicatur natura divina; ergo procedit in ſimilitudinem naturæ. Ant. prob. Quidquid habet Spiritus Sanctus, habet ex vi ſuæ proceſſionis: ſed Spiritus Sanctus habet naturam divinam, eſt enim Deus; ergo &c. Major probatur. Quidquid enim Spiritus Sanctus habet, habet ſibi communicatum per proceſſionem; ergo habet ex vi proceſſionis.

IV. Reſpondeo negando ant. ad prob. nego maj. Ad cujus probationem, conc. ant. nego conſeq. Non enim valet: Spiritus Sanctus quidquid habet, habet per proceſſionem: & per proceſſionem habet naturam divinam; ergo quidquid habet, & ipſam naturam divinam habet ex vi proceſſionis; cum fiat tranſitus a ſenſu identico ad formalem. Revera quidquid habet Spiritus Sanctus habet ſibi communicatum a Patre, & Filio per proceſſionem; cum ſit tertia Perſona ab utroque procedens: At omnia habet ex vi, & ex ratione characteriſtica ſuæ proceſſionis; ſed hoc modo id ſolum habet, ad quod ejus productio per ſe eſt ordinata. Hoc explicatur in hoſtia conſecrata. In hac enim per conſecrationem ponitur non ſolum Corpus, ſed Sanguis, Anima Chriſti, & Divinitas, at non omnia hæc ex vi conſecrationis formaliter ponuntur, ſeu non omnia ſunt terminus ſpecificativus tranſubſtantiationis panis, ſed ſolum Corpus Chriſti; quia hoc ſolum ex ſua ſignificatione exprimunt verba: cætera autem ſolum concomitanter veniunt, quia nimirum Corpori Chriſti conjuncta ſunt. Quare ſi in triduo mortis Chriſti hoſtia conſecrata fuiſſet, facta fuiſſet vera tranſubſtantiatio, & tamen in ſolum Corpus ſine Sanguine, & Anima. Nunc autem de facto ponuntur, quia de facto Corpori Chriſti conjuncta ſunt. Si ergo in caſu. Ex vi proceſſionis Spiritus Sancti ſolum producitur Spiritus, ſeu impulſus, quia ad hunc producendum actio per quam procedit eſt inſtituta; unde ſola ratio impulſus eſt terminus formalis amoris: ſed quia iſte impulſus eſt in Deo, & quidquid in Deo eſt, Deus eſt, habens naturam divinam: ideo Spiritui Sancto, eſto ex vi proceſſionis non communicetur natura divina, illam tamen accipit concomitanter & per proceſſionem.

V. Sed dices. Ideo Verbum eſt Filius, quia ex vi ſuæ proceſſionis procedit ut Deus: ſed Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis procedit ut Deus; ergo &c. Minor probatur. Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis procedit ut ſubſiſtens: ſed non procedit, niſi ut ſubſiſtens in natura divina; ergo &c.

VI. Reſ-

VI. Reſpondeo, vel concedo maj. negando minor. vel diſt. maj. procedit ut Deus formaliter, & objective, conc. maj. ut Deus mere identice, & ſubjective, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Pater ergo, & Filius producendo Spiritum Sanctum ex vi productionis, & ex natura ſpirationis non intendunt formaliter, & immediate producere Deum, ſeu communicare naturam divinam: ſed ſolum producere ſpiritum, & impulſum: unde ratio objective terminans proceſſionem amoris eſt ſpiritus, ſeu impulſus. Quod autem talis ſpiritus, & impulſus ſubſiſtens ſit, & in natura divina, non habet ex ratione formali ſuæ proceſſionis, ſed ex conditione ſubjecti; quia nimirum eſt ſpiritus, & impulſus Dei, & quidquid Dei, & in Deo eſt, Deus eſt, ac in natura divina ſubſiſtens eſt. Quod exemplo ſenſibili manifeſtatur. Dum artifex format anulum, quod anulus ſit talis figuræ nempe rotundæ, per ſe habet anulus, ex quo anulus procedit ab artifice: quod vero ſit aureus, vel argenteus, vel æneus, habet ſolum ratione ſubjecti, & materiæ. Sic dum Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum, quod Spiritus Sanctus ſit impulſus, & ſpiritus, hoc habet, quia Spiritus, & ex vi characteriſtica ſuæ proceſſionis: quod vero ſpiritus ille ſit aureus auro divinitatis, hoc habet ex conditione ſubjecti, quia eſt impulſus Dei. At intellectio ex propria ratione formali producit ſimile; & ſi ſit perfectiſſima, & ſuum eſſe producit ſimile in eſſe, ſeu in natura.

Quare caute diſtingue inter propoſitiones, quæ de Spiritu Sancto formari ſolent. Iſtæ enim: *Spiritus Sanctus formaliter eſt Deus: formaliter eſt Perſona divina*, veræ ſunt, & concedendæ. Iſtæ autem: *Spiritus Sanctus procedit formaliter ut Deus, formaliter ut Perſona*, falſæ ſunt, & negandæ: proceditur enim a modo ſubjectivo ad modum conſtitutivum, & variatur appellatio de materiali in formalem.

VII. Sed contra dicta multa obſunt. Primo. Quia Spiritus Sanctus, ex vi ſuæ proceſſionis procedit formaliter ut diſtinctus a ratione carentibus; ergo ut perſona ſubſiſtens in natura rationali, & divina.

Secundo. Quia procedit formaliter ut oppoſitus Patri, & Filio; ergo ut Perſona ſubſiſtens.

Tertio. Quia ex vi ſuæ proceſſionis habet exiſtentiam divinam; ergo etiam eſſentiam divinam.

Quarto. Ex vi ſuæ proceſſionis procedit formaliter, ut Spiritus Sanctus: Sed Spiritus Sanctus formaliter eſt Deus; ergo procedit formaliter ut Deus.

Quinto. Omne agens intendit producere ſibi ſimile in principio *quo* radicali: ſed principium *quo* radicale proceſſionis Spiritus Sancti eſt natura divina, ut ſupra dictum eſt; ergo &c.

VIII. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum, nego anteced. Licet enim Spiritus Sanctus ſit formaliter diſtinctus a ratione carentibus, ex vi tamen ſuæ proceſſionis ab hoc præſcindit; cum ex vi illius ſolum habeat, quod ſit impulſus.

IX. Ad ſecundum. Vel nego conſequentiam, quia ex eo, quod procedat ut formaliter oppoſitus Patri, & Filio, ſequitur ſolum, quod Spiritus Sanctus procedat, ut ſpiritus relative utrique oppoſitus. Vel diſtinguo conſequens, ut Perſona relative ad Patrem, & Filium tranſeat, quia terminat amorem utriuſque. Ut Perſona quatenus modificativa divinæ naturæ, nego conſeq. Quia, ut dictum eſt, naturam divinam Spiritus Sanctus accipit quidem, ſed non immediate, & formaliter ex vi proceſſionis.

X. Ad tertium. Vel nego ant. quia terminus actionis debet quidem exiſtere; at non ſemper formaliter, & immediate ex vi actionis, ſed aliquando identice, & concomitanter: ſicut natura humana Chriſti exiſtit quidem, & ſubſiſtit, non tamen exiſtentia, & ſubſiſtentia ex vi generationis ei communicata; cum exiſtat, & ſubſiſtat ſubſiſtentia, & exiſtentia divini Verbi.

Vel dato antecedente, nego conſeq. Quia exiſtentia communicatur Spiritui Sancto, non ut terminus ſpecialis, & ſpecificus, ſed ut conditio communis omnibus productionibus, quæ ad hoc tendunt, ut dent exiſtentiam ſub termino. Unde non ſequitur, quod ex vi proceſſionis accipiat naturam divinam, ut terminum ſpecificum illi ex vi ſuæ proceſſionis communicatum, ſed tantum per proceſſionem.

XI. Ad quartum. Conc. maj. & min. nego conſ. Arguitur enim in quatuor terminis, & variatur appellatio. Nam in minori, ly *Deus* ſumitur ſubjective ſolum, & in conſequenti ſumitur conſtitutive. Nam Spiritus Sanctus licet ſit formaliter ſubjective Deus, non tamen Deus eſt conſtitutive, & ex vi ſuæ proceſſionis, & impulſus.

XII. Ad quintum. Nego maj. Non enim omnis actio eſt aſſimilativa in natura, ſeu in principio *quo* radicali, ſed ſolum ea, quæ a natura inſtituta eſt ad communicandam ſubſtantiam generantis: ſicut non omnis actio hominis eſt generativa, & productiva alterius hominis, quamvis omnis ejus actio radicetur in natura. Actio autem communicativa naturæ in Deo eſt intellectio, non volitio, quæ ſolum eſt impulſiva.

XIII. Sed petes. Quid ergo ex vi actionis productivæ communicatur Spiritui Sancto? Dico; Formaliter Spiritui Sancto ex vi ſuæ proceſſionis communicari bonitatem divinam, concomitanter vero cætera. Licet enim in eſſe naturæ ſit prior bonitate, reſpective tamen ad voluntatem, bonitas eſt prior, & immediatior, quam natura.

XIV. Aliter ſolvi poſſunt allatæ inſtantiæ. Quod eſto Spiritus Sanctus procedat ut Deus, & ut Perſona ſubſiſtens in natura divina, non tamen dici debet genitus, aut Filius; quia non procedit actione per ſe aſſimilativa in natura. Sicut Heva proceſſit ab Adamo, ut perſona ſubſiſtens in natura humana, non tamen proceſſit, ut nata, ut genita, ut filia; quia non fuit formata per actionem ex ſe aſſimilativam in natura. Et ſi homo ex ſuis carnibus, vel arte, vel virtute divinitus ſibi conceſſa alium hominem formaret; homo ille ſic formatus, non diceretur, nec eſſet filius, nec procederet, ut genitus, ſed ut artefactus. Ita D. Th. 3. *contra Gentes cap.* 23.

XV. Secundo argues, & inſtabis. Semel dato, quod proceſſio per intellectum in Deo ſit generatio, negari non poteſt, quin etiam proceſſio per voluntatem generatio ſit; ergo &c. ant. prob. primo. Sicut intellectus per ſe tendit ad efficiendam ſimilitudinem objecti, quod intelligitur cum principio intelligente; ita voluntas per ſe tendit ad efficiendam unitatem objecti amati cum principio amante: ut enim ait D. Th. hac *q.* 27. *art.* 3. ſecundum proceſſionem amoris *amatum eſt in amante, ſicut per conceptionem verbi res dicta, vel intellecta eſt in intelligente.*

Secundo prob. ant. Tota ratio, quare proceſſio per voluntatem non ſit generatio, eſt, quia terminus per illam procedens, eſto ſit ſimilis in natura, id tamen non habet ex vi proceſſionis per voluntatem, ſed ſolum ratione ſubjecti; quia nempe illa proceſſio divina eſt, & terminus procedens divinus eſt: ſed quod terminus per intellectum procedens ſit ſimilis in natura; & proinde Filius, non habet ex vi, & natura proceſſionis per intellectum (hæc enim ex vi ſua producit ſolum ſimilitudinem in eſſe intentionali, non vero in eſſe naturali) ſed habet ex conditione ſubjecti; quia nempe procedit per intellectum divinum, in quo idem eſt eſſe, & intelligere, & quia Verbum divinum eſt; ergo vel utraque eſt generatio, vel neutra.

XVI. Reſpondetur, negando ant. Ad primam probat. diſparitas eſt: quia voluntas eſto per ſe, & ex natura ſua tendat ad efficiendam unitatem cum objecto amato; hæc tamen unitas, prout ſpectat ad lineam voluntatis ex ſua ratione formali non eſt niſi unio moralis, & affectiva: unde quod in divinis ſit unitas etiam per identitatem in eadem natura, id prorſus eſt extra naturam, & lineam voluntatis, ſed accidit ex conditione ſubjecti. At intellectus per ſe, & ex natura ſua tendit ad efficiendam ſummam ſimilitudinem in forma, qua intelligit: quod ſi evadit ſimilitudo imperfecta, & ſolum in eſſe intentionali, hoc procedit, quia intellectus imperfectus eſt, & ejus intelligere, & forma, qua intelligit non eſt ſuum eſſe. Quod ſi intellectus perfectiſſimus ſit, & intelligat per ſpeciem, quæ ſit natura, & ipſum eſſe intelligentis, producet ex ſua ratione formali ſimilitudinem perfectiſſimam, ideſt, quæ non ſolum repræſentet naturam intelligentis, ſed habeat ipſam, & in tali natura ſubſiſtens ſit.

Ad ſecundam prob. anteced. triplicem do diſparitatem. Primam ex Div. Thoma hac quæſt. 27. art. 4. ad 2. *Quod ſimilitudo aliter pertinet ad verbum, & aliter ad amorem. Nam ad verbum pertinet, in quantum ipſum eſt ſimilitudo rei intellectæ, ſicut genitum eſt ſimilitudo generantis: ſed ad amorem pertinet, non quod ipſe amor ſit ſimilitudo, ſed in quantum ſimilitudo eſt principium amandi.* Secunda diſparitas ex dictis eſt: quod enim terminus productus per voluntatem evadat ſimilis ipſi volenti, omnino extraneum eſt voluntati, quæ non intendit producere ſimilitudinem, ſed impulſum, nec ſibi aſſimilare amatum, ſed potius ipſa amato aſſimilari. At intellectus ex natura ſua eſt productivus ſimilitudinis. Tertia diſparitas eſt: quod voluntas per ſe ſolum tendit ad unionem affectivam: unde quod unio ſit nedum affectiva, ſed realis, ac identica, prorſus eſt extra naturam voluntatis, ſed ex conditione ſubjecti. At quod ſimilitudo ſit ſumma, nimirum nedum in eſſe intentionali, ſed in eſſe naturali, & reali, non extra naturam intellectus, qui ſi ſit perfectiſſimus, & producat verbum non ex indigentia, & ut intelligat, ſed potius ex abundantia, & quia intelligit, producit illud, non ſolum, ut repræſentet, ſed ut ſit id quod repræſentat, & conſequenter, ut ſit ſimilitudo, non ſolum in eſſe repræſentativo, ſed naturali.

XVII. Quæres. Si proceſſio Spiritus Sancti non eſt generatio, quo nomine vocanda erit?

Reſpondeo. Simplici & communi *Proceſſionis* nomine eſſe exprimendam. Non enim alio, quam Proceſſionis nomine Sancti Spiritus originem exprimunt tum Scriptura, quæ *Jo.* 15. *v.* 26. dicit: *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Tum traditio, & Patres. Quare in Symbolo, quod in Concilio Conſtantinopolitano I. editum eſt, dicitur: *Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre procedit.* Cauſa autem hujus eſt penuria terminorum; *Deum* enim (ait D. Thom. q. 27. laudata art. 4. ad 3.) *nominare non poſſumus, niſi ex creaturis, ut dictum eſt ſupra* (q. 12. art. 1.) *Et quia in creaturis communicatio naturæ non eſt, niſi per generationem, proceſſio in divinis non habet proprium, vel ſpeciale nomen, niſi generationis. Unde proceſſio, quæ non eſt generatio, remanſit ſine ſpeciali nomine; ſed poteſt nominari Spiratio, quia eſt proceſſio Spiritus.*

QUÆSTIO III.

De Divinis Relationibus.

RElatio ex Logicis eſt habitudo, ſeu ordo unius ad alterum quia per relationem non conſtituitur res, ut ſit ad ſe, ſed ut ſit ad alterum. Duplex eſt autem: alia realis, alia rationis. Realis eſt ordo, qui reperitur inter duos ante quamcumque mentis conſiderationem. Rationis vero eſt, quæ per ſolam conſiderationem mentis inducitur. De relatione reali hic ſermo erit.